XV
MALPIGH.
et SBARAL.
Controv.
1700

1ſ.3.276

15U·3

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE MORALIBUS
CRITICÆ
REGULIS

COMPENDIOSA MONITA,

Ad quorum normam veluti obiter exiguntur
tum Controverſia prius agitata

INTER CELEBERRIMOS VIROS,

MARCELLUM MALPIGHIUM,

ET

JOANNEM HIERONYMUM
SBARALEAM,

*Tum quædam Epiſtolæ nuper a quibuſdam
Illius Aſseclis adversùs Hunc
evulgatæ.*

COLONIÆ
TYPIS EYMERICI DE FRANCAL.
CIↃ. IↃ. CC.VI.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
AC REVERENDISSIMO PRINCIPI
PETRO OTTHOBONO
S. R. E. CARDINALI
ET VICECANCELLARIO.

QUæ tua ſit cum erga Literas, tum erga Literarum Cultores, ampliſſime Cardinalis, benevolentia, ſtudium, & ardor, jam nemo neſcit, niſi qui Literas, & Te (ſi fieri id poſſit)

neſcit. Ea enim laus inter tuas egregias laudes adeo ſe prodit, tantumque exſurgit, & eminet, ut in Te jam Italia, immo exteræ quoque Provinciæ, præſtantiſſimum Literarum patronum jamdudum mirentur, atque ſuſpiciant. Parum tamen tibi fuiſſet hujuſmodi gloriâ certare cum celeberrimis omnium temporum Principibus, niſi Literas ipſas, quas tantopere in aliis foves, & amas, prius ipſe tuas effeciſſes, ſedulâ quidem curâ, & ingenio ſummo. Quamobrem multa mihi deliberatione opus non fuit inquirenti, cui Librum iſtum amici mihi Auctoris nuncuparem. Nam quum tam nobili Eruditionis, & Eruditorum amore præſtes, inter Eruditos ipſe conſpicuus, dubitari plane

non poteſt, quin maximo quoque in pretio apud Te ſit Critica, quippe quod illius beneficio bonæ Literæ & indigeant, & propagentur, & ejus ope a Scientiis, & Artibus errores, fallaciæ, & inquinamenta omnia removeantur. Rurſus verò quum Te Pietas, & Religio vera ſummopere commendent, & eminentiſſimo in Eccleſia Catholica honore, ac munere fruaris, fieri nequit, ut aliam Literariam Criticam ames, quam quæ modeſtiæ finibus coerceatur, & Moralis ſcientiæ legibus conſtantiſſime pareat. Cui igitur melius, quam Tibi, Opuſculum iſtud inſcriberem, de Moralibus nempe Criticæ Regulis, quantum quidem mihi videtur, Morali ipſa Philoſophia plau-

dente, aut ſaltem conſentiente, conſcriptum? Quod ſi non modicam hujus Libri partem ſibi occupavit agitatæ olim inter Clariſſimos Viros Marcellum Malpighium, & Joannem Hieronymum Sbaraleam Controverſiæ, necnon quarumdam Epiſtolarum ab ignotis Auctoribus evulgatarum examen; non alio id tamen conſilio factum, niſi ut publica potius, quam privata, cauſſa, immo illa in primis, ante Auctoris oculos foret. Iis enim vivimus temporibus, quibus, ſi alias umquam, nunc certe neceſſaria eſſe Reipublicæ Literariæ videantur germanæ Criticæ rudimenta, atque præcepta. Exploratum autem eſt, tunc potiſſimum cujuſcumque Artis Theoricam utiliſſime, ac aptiſſime tradi, quum

Theoricam exempla comitantur, & Praxis illuſtrat. Quod certe quando præſtari æquius, ac utilius poterat, quam ubi de vario Criticæ abuſu inſtituta diſputatio eſt, cujus monſtri non tam naturam memoraſſe, ſed faciem quoque expreſſiſſe, & ſub oculos omnium poſuiſſe prorſus juvat? Reliquum fuerat, ut partium ſtudium a ſe hujus Libri Amicus Auctor eliminaret. Hoc etiam diligentiſſimè ille caviſſe ſe putat vel tum, quum in alterutram partem inclinaſſe videtur. Scilicet ibi quoque, non præjudicata aliqua opinio, aut iniquus aliquis affectus, ſed vis Veritatis, & æquitas, ſcribentem in judicium impulerunt. Tu judex eris, ut ſperare audeo, Eminentiſſime Princeps, Tu, a quo non hunc

tantummodo Librum, ſed una cum eo humillimum etiam obſequium erga Te meum humaniſſime excipiendum eſſe, magnanimitas tua me certum facit. Interim venerabundus omnia Tibi e Cœlo fauſta precor, æternùm, ſi mihi per Te licebit, futurus.

Em. T. R.[me]

Humillimus, & devinctiſſ. Servus
F. Alamanus Laurenti S.B.

CAP. PRIMUM.

Quam differat a Calumniatore, & a Satyrico, Criticus.

I. CAlumniatoris, & Malevolentis eſt, quem peccato planè immunem novit, eum peccati inſimulare. Satyrici, ea vitia palam facere, ac perſtringere, quę in hominibus eſſe vel ſcit, vel ſuſpicatur. Critici autem, errores notare, quibus deceptam putat alicujus mentem, iiſdemque erroribus proprias adverſas ſententias, ac earum momenta, ſolo veritatis amore, & ſtudio, ad commune bonum proferre. Ex tribus hiſce diverſis adeo Inſtitutis, primum utique iniquum, & probroſum; reliqua duo, quorum alterum non improbandum, alterum omnino laudandum, a recta norma facilè diſcedunt, quoties proprii propoſiti fines excedant.

II. Satyricis, *qui nunc omnia obliniunt felle, nunc aceto conſpergunt, nunc jocis, & laſcivia condiunt*, fac etiam aliud non occurrat difficile; illud utique ſemper arduum fuerit, monitorum ſeveritatem, lenitatemque jocorum decenter miſcere, atque horum utrumque alter- *Angel. Politian. in Præf. Perſii.*

na arte opportunè temperare. Equidem neſcio, an ejuſmodi ars excogitata fuerit eam ob cauſſam, quam Robortellus adducit, ubi varias vitiorum turpitudines diſtinguens, animadvertit, *alia in ſe turpitudinem habere dignam odio, alia dignam riſu*: an ob illam, qua Tullius optimum duxit, ut ſuavitate ſalium acerbitatem leniret increpationum, quibus ſuorum temporum calamitates inſectabatur, videlicet *ut mala non tantum ſeria forent*. Utcunque res iſta ſe habeat, planè conſtat alternationem hanc, ſive admixtionem, valde uſitatam in Satyris, non modò verſu compactis, in quibus lege artis miſcendum eſt a Poetis utile dulci; verùm etiam in illis, quæ pro majori parte ſoluta oratione conſcriptæ cenſentur a Varrone apud Romanos, & ante hunc a Menippo apud Græcos, *cujus libros M. Varro in Satyris æmulatus eſt, quas alii Cynicas, ipſe appellat Menippæas*. Quin immo ex tali admixtione, e nonnullorum Sententia, nomen ſuum Satyra accepit: cum præſertim vox hæc nomini conſonet patinæ cujuſdam, in qua dum ſacra conficerentur, diverſa permiſcebantur ciborum genera. Quamquam potiori jure nomen Satyræ derivatum putatur a Satyris, quorum natura procax uſque, ac petulans conficta eſt. Verùm hoc minùs ad rem noſtram. Illud porro magis, ut nimirum frequentes exceſſus animadvertantur, tum in aſperitate objurgationum, tum in ſalium dicacitate. Siqui-

Franc. Robortel Explic. de Satyra.

Macrob. Satur. lib. 2. cap. 2.

A. Gel. lib. 2. cap. 8.

Diom Gram. l. 2. Robert. Steph. Theſaur. Jul. Scal. Poet. lib. 7. cap. 12. Lil. Greg Gyral. de Comed.

dem

dem Satyricus, ubi ſe plùs æquo rigidum præbeat, facilè Miſantropi agnomen incurret, a Luciano Timoni attributum, quòd humanum genus exoſum haberet. Sin verò facetiis, ac jocis nimiùm indulgeat: tunc fortaſſe jucundo ſpeciei decore, ac venuſtate ita vitium pinget, ut iſtud non modò (quod maximè deceret) non ampliùs horreat, verùm & placeat, eoque ſenſim incautos homines traducat, ut jocari ſe putent, cum peccant. In hujuſmodi errorem prolapſus eſt Petronius Arbiter, de quo ſummo jure pronunciatum eſt: *Intererat Eloquentiæ, ut ſcriberet, Reipublicæ, ut aliud.* Quamobrem in Satyris cavendum maximè, ut moderationis plurimùm ratio habeatur, *ne, dum animos reorum purgare volumus, alios interim ſinceros, & innocentes collutulemus, & ad morum turpedinem quaſi invitemus.* Exemplar Satyræ ſatis temperatæ vix fortè reperies uſquequaque perfectum apud alterum ex tribus Latinis Poetis, *quorum Horatius eſt cæteris duobus jocoſior, Perſius triſtior, Juvenalis petulantior.* Illud verò invenire non ita difficile fuerit apud Philoſophos Græcos; ſi modò inter Satyricos recenſeamus cum Robortello ex Sapientioribus nonnullos, præcipuè verò Socratem, *qui improbos ea de cauſſa in ſe irritavit.*

Iacob. Pontan. Poet. Inſtitut. lib. 2. cap. 38.

Pontan. ibi.

Robor. Explic. de Satyr.

III. Verùm quod in Satyra minùs ferendum, quodque magis bonis moribus repugnat, illud eſt, quo videlicet quis nominatim recenſet, ac apertè notat, non vitia modò, verùm &

vitio affectos. Atque id quidem Græci etiam Gentiles intellexere, qui pœnas propterea ſtatuerunt, ſi in Comœdiis eorum nomina palam fierent, quorum mores ad irriſionem producebantur. Quare ea tempora tum demum apud ipſos fuere, *cum qui contumelia eſſent affecti, pœnas de Poetis expeterent*. Quamquam adverſus eos, qui in id criminis inciderent, ſeveriores ſe præbuere Romani, *capite etiam puniri ſancientes, tale carmen condere ſi quis auderet*. Noſtris autem orthodoxis temporibus, tum a Juriſperitis, tum ab iis, qui Theologi morales dicuntur, aliena vitia indicare, omnino, ac perſpicuè interdictum. Utriſque autem planè conſentiunt, quotquot de Honoris Jure tractant Auctores.

Ex Platon. fragmen.

D. Auguſt. de Civit. Dei lib. 2. cap. 12.

Angel. in leg. Veſtem §. de Inj. ſ. Feltman. de Tit. honor. l. 2. c 25. n. 9.

IV. Aſſerit Attendulus, ea verba, quæ aliena vitia declarant, tametſi vera, talem nihilominus injuriam imponere, ut jure maximo is, qui ediderit, ſit plectendus. Minimè patitur Charitas, ut coram quovis aliorum crimina enuncientur. Neque enim e conſuetudine, neque e Republica eſt, ut vera quæque pervulgentur. Nec aliter ſentit Alciatus, ubi docet: *Charitatem, quam homo homini, Chriſtianus Chriſtiano præſtare debet, non id expoſcere, ut palam cujuſquam delicta in corona hominum divulgentur: quum nec ex uſu publico ſit, ut omnia vera, eadem & manifeſta ſint*: ex quo infert *ut ſi delictum alicui objiciam, quod palam agnoſci publicè non interſit, actione injuriarum tenear*.

D. Thom. 2. 2. Quæſt. 73. Ar. 2. Rebellus de Reſt. Quæſt. 1. n. 8. Azor. 3. p. l. 13. c. 6 d 3. Filliucius n 64. 67 & 86. Bonac. d. 2. de Reſt. in gen. Diſput. 2. Quæſt. 5. P. 1 Prop. 2.

Attendol. Duel. l. 1. c 5. pag. 21. & 21. Alciat. Duel. cap. 9. p. 13.

Rara

Rara ſunt ea Crimina, quorum promulgatio publicæ utilitati conducat. Duoquippe tantummodo: Crimen læſæ Majeſtatis, qua divinæ, qua humanæ, & Conjuratio in Patriam, aut in Principem. Etſi autem in veris aliorum vitiis patefaciendis unum deſit, quod ad injuriam requiritur, ut nempe id, quod aſſeritur, Juſtitiæ adverſetur; iniqua tamen ratio eſt, qua utitur reprehenſor, cum iniquum ſit minimè infeſto infeſtum ſe exhibere, & provinciam ſibi indebitam arrogare. Sanè Paridi viſum eſt, Duellum (eo tempore, quo jus tam barbarum probabatur) nequaquam iis permittendum, quorum alter ejuſmodi injuriam pateretur, alter inferret: idque ea potiſſimum ratione, quòd videlicet, haud dubia tunc foret cauſa, ſeu (quod in idem redit) vera foret criminatio: Verumtamen ille contumelioſum obſtringit ad profitendum palam, nullam ſibi mentem in alterius famam fuiſſe. Quod quidem apertè ſignificat, inferendæ contumeliæ Animum (alterum quippe hoc eſt ex præcipuis ad injuriam requiſitis) in eo præſumi, qui publicè reprehendit, ubi nulla neceſſitate compellatur, nullæque adſint circumſtantiæ ex iis, quas juſta ſibi poſcit amica correctio.

Camil. Bald. Delle Mentite Lib. pri. Cap. 16.

Bald. ibi.

Pariſ. dè Put. Vulg. Duel. lib. 6. cap. 23. p. 73.

Poſtulat inſuper Lancellotus Conradus ab alienas culpas, licèt veras, exprobrante, ut fateatur, non modò non id ſe voluiſſe (quemadmodum & Paris docuit) ut ſcilicet alteri inju-

injurioſus foret, verùm & ſe temerè, ac perperam oblocutum; atque hiſce verbis potiſſimùm utatur: *Ad tuam injuriam non dixi, & malè dixi, & ex impetu, vel calore iracundiæ.*

Lancellot Conrad. P. 6. de Pace Concl. 105.

Quin neque hoc ſatisfacit Lando, qui præterea hortatur ad revocandum dictum, ac ſi falſum foret. Quod conſilii hac ratione comprobat: Neque enim (inquit) obſtat in hoc caſu, vel id, adverſante veritate, retractari, quod ratione abditi occultique criminis, ſpectato Mundi honore, perinde eſt, ac ſi non eſſet.

Iul Landi. Action. moral. Vol. I. Lib. 2. p. 223.

V. Ad hujuſmodi autem purgationem nequaquam tenetur, utpote cujuſvis planè inſons criminis, qui ea profert Vitia, quæ Intellectualibus dumtaxat Virtutibus opponuntur. Quare Satyrarum Scriptor nihil omnino peccabit, cum cuivis nominatim nuncupato peccatum adſcribet, vel in poeticam, vel in aliam quamlibet literariam artem; peccatum videlicet ingenii, non morum. Et ſanè id peractum pluries ab Horatio antiquitus, crebriùs verò noſtris temporibus, tum a Satyrico Gallo Deſpreauxio, tum ab Italo Sectano, citra ullam offenſionem. Enimvero duplex illa jam nuper indicata ratio, quæ obſtat, ne quiſpiam nominetur, ubi de aliquo morum vitio agitur (quòd videlicet neque liceat obſcura, & latentia crimina in lucem proferre, neque publicæ utilitatis ſit id facere) omnino hîc locum non habet. Quantum enim augmenti afferatur

Scien-

Scientiis, cum errata ingenii indicantur, Plutarchus edocet: *Inſcitia haudquaquam occultanda, ut ait Heraclitus, ſed ingenuè proferenda in medium, dum in promptu habeas, quo illi queas mederi.* Quam verò liceat publicos fieri Literatorum errores, vel in Palæſtris coram traditos, vel typis mandatos, nihil opus eſt, ut demonſtretur. Nam ubi ingenii ſui fœtus quis in lucem protrahit, eorum quoque vitia quorumcumque examinanda judicio proponit, immo & ſubmittit. *Ita ut qui in auctorum albo accenſeri vult, variis etiam cæterorum hominum judiciis, & arbitriis ſe ſe permittere videatur.* Paratum ergò ſe præbeat oportet ad diſſentientes, reclamanteſque audiendos, qualem ſe Tullius in Tuſculanis præbebat, inquiens. *Non ſumus ignari, multos ſtudioſè contra eſſe dicturos, quod vitare nullo modo potuimus, niſi nihil omnino ſcriberemus.* Quæ adeo veritati conſentiunt, ut quoties Scriptorum errores, rem literariam ſpectantes, Satyricus aliquis carpit, jam non ſuo (quod morum caſtigationem reſpicit) ſed Critici potius munere fungatur. Hæc porro animadverſio viam ſternit ad dignoſcendam diſſimilitudinem, quæ Criticam inter, ac Satyram, Calumniamque intercedit.

Plutarch. de Auditoris officio.

Illuſtrat. ſeu Explicat. ad Lib de Inquirenda Veritate P. Malebranch. Præfat. pag. 1.

Cicer. Tuſcul. lib. 2.

VI. Ex iis, quæ ſunt hactenus dicta, facilè poteſt intelligi, falſam eſſe ex propria tandem natura calumniam, atque adeo non modò injurioſum, verùm etiam mendacem, eſſe Calumniatorem;

torem; non item verò Satyricum, qui licèt non mendax, injurioſus tamen eſſe poteſt, ſi vitioſi proferat nomen. Et quamquam moralia vitia ambo iſti ſibi proponant, ea tamen ſpectat alter in privato, alter in cunctis. Porro Critica (præterquamquod a Satyra æquè ac a Calumnia diſſidet, dum vitia reſpicit, ad mores nihil pertinentia) longè maximè a Calumnia diſtat, eo potiſſimùm titulo, quòd nequaquam mendax ſit Criticus, ſive falſis opinionibus inhæreat, ſive a veris diſcedat: quemadmodum a Satyra præcipuè diſtat Critica, eo præterea quòd huic liceat eorum nomina proferre, quorum ſententiis adverſatur. Quod autem præ cæteris hanc ab omni culpa remotam oſtendit, eſt diſcrepantia ſuperiùs dicta a reliquis duobus Inſtitutis. Quippe cum Critica perſtringat, non ea, quæ morum ſunt vitia, voluntati præſertim inſita, ſed vitia opinionum, quæ in intellectu ſita ſunt, idcirco ne leviter quidem Honorem lædit, qui virtutibus morum maximè innititur. Id porro nullo negotio demonſtrabitur; atque inde conjicietur, Criticam paſſum nequaquam læſum videri ſibi debere; modò Critica, & Criticus intra modum conſtiterint.

VII. Hîc autem *Criticæ Criticique* vocabula ad mentem meam explicem opus eſt. Quippe non equidem judicium exactum, exquiſitumque judicem intelligo, quemadmodum Henri-

Henricus Stephanus vocabulorum originis rationem maximam habens; verùm nomine *Critici* quemvis de argumento literario judicium ferentem; *Criticæ* verò, ipſummet judicium, aut ſatis, aut minùs conſultum, vel demum quamcunque diſceptationem controverſiamve in liberalibus diſciplinis verſantem intelligo.

CAP. II.

Judicium, quod de alienis Scriptionibus Critici ferunt, Scriptorum Honorem minimè lædere.

I. VIrtutum duo genera recenſuit Ariſtoteles; Virtutes ſcilicet Morum, & Intellectus; & quoniam, dum aſſeruit, *ob Virtutes, & Vitia laudari nos, ac vituperari*, de Virtutibus morum hoc intelligi voluit: idcirco ſtatim ſubdidit, Virtutes morales ab humanæ voluntatis electione pendere: *Virtutes autem electiones ſunt quædam, aut non ſine electione*: quod & apertiùs docuit, Virtutem moralem generatim hac definitione deſcribens, *habitus electivus in mediocritate conſiſtens*. Virtutes equidem, quibus Honor tamquam præmium adhibetur, propriè illæ non ſunt, quæ ad Intellectum ſpectant; multoque minùs quidquid aliud in homine præclarum inveniatur, extra Virtutes voluntatis, & morum: *Nec verò, cum inquit*

Ariſt. Ethic. lib. 2. Lect. 1. juxta diviſ. D. Thomæ.

Lib. 2. Lect. 5.

Lib. 2. Lect. 7.

Flam. Nobil. de Honor. Cap. 8.

Ariſtoteles, Honorem Virtutis præmium eſſe, credendus eſt, Virtutis nomine Scientias etiam, & corporis præclarum habitum, & egregias artes comprehendiſſe. Aſſertum hoc Flaminii de Nobilibus, receptiſſimum apud omnes, qui Honoris Diſciplinam tradidere, ita commune eſt, ut vix cuipiam Scriptori veluti peculiare aſſignari poſſit; niſi in quantum quis de eo fuſiùs, & expreſſiùs diſſeruerit. Inter quos Attendulus de Virtuti-

Attend. Diſcurſ. de Hon. p. 21. 22.

bus diſceptans docet: Intellectuales Virtutes diſciplinis, & ſcientiis acquiri, morales verò habitu rectè agendi, & has eſſe, quæ potiſſimùm ad Honorem pertinent

Fauſt. Duel. l. 4 Cap. 4. Muſius Reſp. 1. Lib. 3 Birag. Conſ. 8. Lib. 2. Rom. de Hon. pag. 60.

II. Quemadmodum autem non niſi ob Juſtitiæ, aut Fortitudinis defectum, Honoris jactura fit; ita, quem Honorem in moralibus *acquiſitum* vocitamus, is aliter comparari nequit, quam juſtè, & fortiter factis, aut ſi mavis, cæteris præſtantibus aliis, ſecundum cæteras

Ioan Bapt. Poſſev. de Hon. lib. 1. Atten Diſcurſ. de Hon p. 24.

morales Virtutes, actibus; cum æquè ex omnibus morum Virtutibus Honorem, uti ex omni adversùs eaſdem graviori lapſu, dedecus enaſci neceſſe ſit. Hîc autem perpenſum velim, dum Scriptores Fortitudinis tantùm, & Juſtitiæ in

Pigna Duel. lib. 2. cap 5. Io. Bapt. Poſſev. de Hon. lib. 4. Rom. de Hon. p. 60 61 Ariſt. Ethic. l. b. 5. lect. 2.

ſuis de Honeſtate Præceptionibus, meminerunt, velle illos, cæteras etiam morales Virtutes, poſtremæ hujus nomine tacitè ſubaudiri. Neque hoc temerè; nam & ipsâ Ariſtotelis ætate adeo ſolemne hoc fuit, ut Theognidis carmen allegans, idem ſcribat: *& proverbio dicere conſuevimus*. Ju-

Juſtitia in ſe ſe virtutes continet omnes.

Itaque, ſi Critici Judicium (quippe quod Sententias, & doctrinam unicè expendit) ſolas Intellectus Virtutes caſtigat, neque morum examen inſtituit, neque voluntatis, aut illorum actuum, quibus Honor nititur, cenſuram perſequitur; conſequens eſt, nullo dedecore notari, aut contumelia affici eum, cujus Scripta ad Critices trutinam revocantur.

III. Quod non eo dico, quo putem, iis etiam, quæ Intellectus ſunt, Virtutibus ſuum honorem, atque exiſtimationem non habendam, aut propterea genus illud Honoris, quod ad Virtutes Intellectus pertinet, eſſe excludendum. Sed Virtutes hæ (quas Speculativas dicere liceat) Honore dignæ eſſe non poſſunt, niſi moralibus conſocientur Virtutibus. Propterea dicere auſim, exiſtimationem illam, quam literaturæ nomine Sapientes Viri promerentur, eſſe eam ſanè acceſſionem, eamque ampliſſimam, quæ vero Honori fiat; Honorem autem ex ipſa, veluti ex ſui neceſſaria parte, minimè coaleſcere; cum etiam hac acceſſione incrementove adempto, nihil cauſſæ ſit, quo minùs verus Honor conſtet. Debiti namque probo Viro Honoris ſervata hoc modo integritate, mihi videtur ſuum jus quoque tribui opinioni, quæ de Literato habenda eſt, & ita ſimul clareſcere id, quod Poſſevinus ſubdit: Etiamſi literato homini Honor competere poſ- *Io. Bapt. Poſſev. de Hon. lib. 3.* *Idem ibi.*

 ſit;

ſit; attamen talem Virum bonis moribus inſtructum eſſe neceſſarium eſt. Sumus enim duplici ex cauſa Honore digni: primò, & principaliter ratione Moralium Virtutum; ſecundò Intellectualium. Verumtamen Intellectivas tantum poſſidentes, Honore digni non cenſentur, niſi Moralibus ſimul inſtructi ſint Virtutibus; & ita ſoli probo Viro Honorem ſtrictè deberi verum eſt.

Idem ibi.

IV. At, cum Honor, pro hominum diverſitate, multiplex variuſque eſſe dicatur, cumque alius aliis eorum Studiis, vel ſexui, vel ordinibus Honor adſcribatur: non idcirco putandum eſt, eodem Virtutum Moralium fundamento Honorem perpetuò non niti: quamquam fortaſſe unius Virtutis actus, unius potiſſimùm Ordinis, ſexuſve, aut ſtudii homines, præ cæteris deceant. Neque exinde quòd Togato minùs liceat vim vi armiſque propulſare (quod bellicoſus ſibi ſæpius uſurpat) propterea fit, ut utriuſque Ordinis Honor ex morum Virtutibus non conſurgat, aut per ſolas Intellectus Virtutes verum Honorem aſſecutus Literatus dicatur. Diſpar in utroque Honoris genus a diſpari, qua quiſque eorum utitur, reparandi ratione non conflatur. Quin, ne hoc quidem in contumeliis repellendis diſcrimen inter iſtos reperias: cum Militi æquè, ac Philoſopho propriam Innocentiam, probitatemque aſſerere competat uno eodemque probationum genere,

Pigna Duel. lib. 1. cap. 3. Atten. de Hon diſcur. p. 62. Ant. P. ſſev. de Hon l. 2. Orlan. Peſcet. de Hon. Dub. 2 p. 42. Zuccol. de Hō. p. 876.

publi-

publicis ſcilicet Documentis, quæ reipſa majus ad probandum momentum obtinent; alterumque tantummodo parcere gladio magis deceat: quod immaniſſimum, præterquamquod fallax, probandi genus cœcus Mortalium furor, in ſubſidium civilis probationis, excogitavit: nec ſine infirmitatis nota, eorum etiam calculo, qui tam inhumanâ probandi viâ incedere non reformidant.

Paris de Put. Duel. vul. l. 8. cap. 35.
Iacob. de Caſtil. Duel. in Prolog.
Iand. Act. Moral. Vol. 1. Lib. 2.

V. Verùm ut hoc idem liquidiùs appareat, & cenſuram alieni Ingenii, eum, contra quem inſtituitur, non dehoneſtare innoteſcat; Honoris partitionem, quam Romæus præ cæteris enucleatiſſimè tradit, perpendamus oportet. Alterum Honoris genus eſt (ſic ille) quem *Innatum* convenienter appellamus, eo quod in ipſo veluti Matris ſinu congenitus nobis cognatuſque eſt. Hunc Fauſtus *incorruptum naturæ ſtatum*, & ante ipſum Calliſtratus Juriſconſultus: *Statum non maculatæ dignitatis*, vocitavere. Extrinſecùs hic quidem in communi hominum Opinione ſitus eſt, quòd Vir ſcilicet honeſtus a Juſtitia, & fortitudine nunquam defecerit. Intrinſecùs autem, ab illius moralis Legis, ad quam a Natura inſtituti ſumus, obſervantia exiſtit. Itaque nemo eſt, qui non hujus Honoris partem habere ſe profiteatur, aut qui non habeat. Cum tamen tam Indocti, quam Literati, tam Militis, quam Civis, tam Illuſtris, quam obſcuri hominis ornamentum æquè ille ſit;

Pomp. de Hon. l. 1. cap. 8.
Vrea de Hon. P. 2. p. 6.
Maſſa contra Duel Cap. 12. n. 3.
Socin. Conſ. 1 p. 72.
Mut. Duel. lib. 2. cap. 6.
Rom. de Hon. p. 62.
Fauſt. Duel. lib 1. cap. 6.
Ant. Poſſev. de Hon. l. 1. cap. 5.
Rom. de Hon. p. 59.
Id in ibi.

ſit; nihilominus nemini aut Literaturæ, aut experientiæ Militaris merito competit, ſed ſolius morum, & Vitæ probitatis. Quare communis hic Honor ab ulla dignitate aut gradu non exoritur, ſed in quovis homine præſumitur, quoad aliquo adversùs bonos mores Crimine maculetur. Alterum Honoris genus ab eodem Romæo Honor *Acquiſitus* inſcribitur, qui ab *Innato* maximo intervallo diſtinguitur; nam ubi Acquiſitus Honor haud ineſt, non idcirco infamia, aut dedecus invenitur, ſed tantùm ejuſdem Honoris privatio. E contra ubi non ineſt *Innatus*, ſeu *Ingenitus* Honor, ſcilicet quando opus pravum innocentiæ præſumptionem delevit, ibi revera eſt Infamia. Qua in re duo contrariorum modi veniunt animadvertendi: ſiquidem ex contrariis, quædam *privativa* dicuntur, quædam *poſitiva*. Contraria poſitiva illa ſunt, quæ ambo habent eſſe reale in natura; ſed contrariorum privativorum unum habet eſſe reale, alterum nihil ponit in eſſe. Honor autem *Innatus*, ſive *Ingenitus*, primo adverſandi modo, oppoſitus eſt Inhoneſtati: altero adverſandi modo *Acquiſitus* Honor, ſui ipſius carentiæ tantùm repugnat. Nunc inquirendum eſt, utrius generis ſit Honor, quo Literatus, quâ Literatus eſt, inſignitur, adeoque quem lædere poſſet Critica, ſi tantum liceret illi, quæ unicè Mentis conceptus exagitat, non mores, eorumque facta. Liquet autem Honorem hunc, non niſi

Rom. de Hon. pag. 63.

Rom. ibi.

Rom. pag 62.

ex

ex Acquiſitorum numero eſſe, cum Diſciplinas diuturno tantùm labore comparemus, neque illas, vel de illis præſumptionem, mortalium quiſquam ab ortu hauſerit. Intellectuales Virtutes Diſciplinis & Scientiis acquiruntur (refrico Attenduli Sententiam ſuperiùs memoratam): quapropter qui Doctrinæ titulo honeſtus cenſebitur, is unâ illius Honoris ſpecie, quem *Acquiſitum* dici aſſeruimus, potietur: quemadmodum ille, qui Honorem *Innatum*, eamque, qua fruitur, probitatis præſumptionem, actionibus comprobaverit, idem altera eminentiori ſpecie Honoris *Acquiſiti* decorabitur. Igitur ſicuti inhoneſtus minimè eſt, qui ad hunc altiorem gradum, etiam in Virtutibus morum, non aſſurgit, neque injurioſè cum illo agitur, ſi tantus illi Honor denegetur; ita multò minùs injurium erit, ſi cuipiam Scientias ac Diſciplinas ineſſe neges, cum præſertim ad verum Honorem Virtutes Intellectus non ſpectent; ut e converſo ad verum Honorem pertinet, vel Virtutes morum, vel earum ſaltem præſumptionem poſſidere. Quæ arguendi ratio vim habet, etiamſi Intellectus Virtutes ſupra Virtutes morales velimus eminere: de quo Zuccolus, ab hoc diſſidio temperans, hæc habet: *Et ſi Actus contemplativi, quatenus tales, operibus eminentiores nobilioreſque ſint: attamen longè magis neceſſaria & convenientia ſunt homini opera: idcirco horum gratia in majori honore ille habetur.*

Attend. de Hon. Diſc. p. 21.

Lud. Zuccol. de Hon. Cap. 33.

betur. Ideo rectè moraliter agens vocatur honeſtus; non ſic autem, qui rectè contemplatur; ſed tantùm hic bonus literatus, bonus Philoſophus, non probus Vir dicetur, quatenus bonitate morali careat: qua de re ſicuti contemplanti Viro abſoluta bonitas non tribuitur; ita nec abſolutus tribuendus eſt Honor.

VI. Huc ſpectat Senecæ monitum, ubi meritò illos irridet, qui in iis, quas exercent, Artibus, ac Diſciplinis, mendoſi apparere verecundantur, nihili interea ducentes graviora Vitæ errata. *Quod pleroſque inemendabiles facit, omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt offenduntque; deerrantem vitæ peccata delectant*. Sanè miſerandum eſt, hominem interdum Honorem ſibi maximè neceſſarium poſthabere, dum curioſè perſequitur, atque aucupatur Honorem illum, qui ex qualicumque Scientiæ opinione enaſcitur: hunc anxiè captare, in quem Criticorum culter exacuitur, illumque negligere, cujus contemptus, quippe probroſus, Cordatum quemque in nos ſuſcitat: denique magni facere adventitium, atque acceſſorium Honoris titulum; infamiam ſiniſtrumque rumorem, qui veri Honoris jacturam ſubſequitur, nihil morando.

Senec. Epiſ. 97.

VII. Quod ſi libeat accuratiùs inquirere, cuinam ex pluribus Nominibus, quæ Honori vulgò evenerunt, Critica opponatur; non abs re fuerit, quid ſibi propriè velint hæc Vocabu-

la

la *Fama*, *Gloria*, *Laus*, perpendere; quibus Vocabulis modò eadem res promiſcuè deſignatur, modò diverſæ, pro Scriptorum ſubtilitate, exactiùs diſtinguuntur. Hujus vocis *Fama* multò laxior ſignificatio eſt, quàm alterius nominis *Honor*; nam, ſi preſsè loquamur, Famam vivis æquè, ac Vita functis adſcribimus; Honorem verò viventibus tantummodo adjudicamus. Præterea, Fama medium eſt vocabulum, cujus ſcilicet tam ſecunda, quam contraria acceptio eſt, eamque ſæpe numero fallacem deprehendimus, ut rectè de ea Salluſtius ſcribat: *res cunctas magis ex libidine, quàm ex vero celebrat, obſcuratque*. At *Gloria*, ſi mavis illam non Virtutis modò, verùm & celſioris Virtutis præmium eſſe, ſpecies quædam, eaque ſublimior, Honoris eſſe cognoſcetur; contra verò, ſi illam Demortuis etiam attribui obſerves, laxiùs eam quoque patere, quam Honor, ſuſpicaberis. In hoc differunt Gloria & Honor, quod Gloria viventes, ac vita functos pariter reſpiciat; Honor verò non æquè benè functis aptari videtur. Propterea, ſtrictè loquendo, haud dicam Atavum, aut Patrem Honore potiri, ſed jam potitos fuiſſe. Secus dicam Marcellos, & Scipiones, quamvis defunctos, glorioſos eſſe. Quoniam verò conditiones quædam (has Zuccolus recenſet) Honori quidem conveniunt, Gloriæ non item; & e converſo aliæ Gloriam reſpiciunt, quæ ab Honore abhorrere videntur, ideo rectè ille infert;

Rom de Hon. p. 92.

Sal. Catilina

Flam. Nobil. de Hon. ca. 9. I. B. Poſſev. de Hon. l. 1. p. 11.

Rom. de Hon. p. 91.

Ludov Zuccol de Gloria cap. 1.

Zuccol. Ibi.

fert: Nec Gloriam Honori ſubjici poſſe, ut ſpeciem ſuo generi; nec viciſſim Gloriæ Honorem. Poſtremum ex allatis Nominibus *Laus* eſt. Huic Nomini, ut mihi quidem videtur, Criticæ vocabulum longè meliùs, quàm Gloriæ, & proculdubio veriùs, quàm gemini Honoris Nominibus, adverſatur. Nam unicum Laudis Inſtrumentum (liceat mihi, quæ ſentio exponere) Verba ſunt, cum Laus ſit Oratio alienam Virtutem demonſtrans, & extollens. Pariter Criticæ unicum Inſtrumentum ſunt Verba. Unde quis Criticen prohibet ſic definiri? Oratio alieni Intellectus errores manifeſtans; hoc pacto adverſantia diſcrimina, ſeu (ut loquuntur) differentias ſub eodem genere comprehendendo. Neque fortaſſe incongruè dicetur, tantumdem ab Injuria Criticam abeſſe, quantum ab Laude (quæ Ingenii inventis debetur) abeſt Honor bonis moribus conveniens; cum Honori dupliciter Injuria, verbis ſcilicet & factis, opponatur; Laudi verò, verbis tantùm, ſimpliciter Critica adverſetur. Non tamen diffitebor uberiorem Laudi, quàm Criticæ (quas oppoſitas ſtatuo) materiem ſubeſſe; cum Laus, nedum in rectè facta, ſed in Virtutes ipſas cadat, tum in ſenſu vitaque prædita, cum in mortua, & inanima; & quod potiſſimum eſt, tum actus ſecundum Virtutes Intellectus, tum habitus ipſos a Virtutibus morum impreſſos, condecoret. Quare cum Laudi Criticam

Rom. de Hon. p. 91.

I. B. Poſſev. de Hon. lib. 1. p. 16. 17. 18.

ticam contrariam affirmo, eam Laudem intelligo, quæ Virtutibus Intellectus, & fructibus Doctrinæ, Sententiis, Scriptionibus, univerſis denique humanæ mentis fœtibus jure debetur. Mihi tam proprium & conveniens hoc loquendi genus videtur: *Alicujus opera laudare, alicujus opera criticè diſcutere*; quàm aptè apparent duo hæc Laus & Critica inter ſe pugnare. Pariter *Injuria, & Honore Hominem proſequi*, concinnè ad horum repugnantiam dici arbitror. At *Hominem Criticæ ſubjici*, aut *ejus Opus Injuria affici*, minùs lepidè, minùſque propriè ad aures accidere videretur. Nihilominus quo maximè nitor argumento, illud eſt, quod nempe Honori vero gloriam aut laudem conſociari non eſt neceſſe. Quin Honeſti perſæpe Viri eſt, omni Studio utramque declinare, ut illis dignior fuga ipſa, vel appareat, vel fiat: quod de Catone illo dictum reperimus: *quo minùs gloriam petebat, eo magis illam aſſequebatur*. Siquidem laudis adminiculo verus Honor non indiget, quod de Virtute quidam cecinit:

I. B. Poſſev. de Hon. lib. I. pag. 21.

Salluſt. Catil.

> *Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis*
> *Divitiis animoſa ſuis* &c.

Claud. in Conſul.

E contra, verum Honorem declinare nemo, & refugere impunè poteſt. Quin arguendus eſt, ſi quis eum non affectat. Immo qui verum Honorem non ſatis æſtimat, inter iniquos reputatur: quod de Honore, Honeſtatis comite, intellige. In quam rem Tullius: *decori vis*

I. B. Poſſev. de Hon lib. I. pag 20

Lud. Zuccol. de Glor. ca. I.

Cic. de Offic. lib. II.

Vigna D. Petrum lib. 2. Anton. Poſſev. de Hon.

Corn. Tacit. Annal. lib. 4.

Eccleſiaſt. ca. 41. n. 15.

Rinald. Corſ. de Pace Cap. 5. n. 65. Iac. de Caſtil. l. 2. cap. 4.

MaſſaCap. 6. n. 2.

ea ineſt, ut ab boneſto non queat ſeparari. Is Honos eſt, qui ab Virtute, ad inſtar Umbræ corpora conſequentis, nunquam disjungitur, quemque Corn. Tacit. bonum nomen, bonamque famam nuncupavit, ubi monuit *contemptu famæ, contemni Virtutes*; quem denique inviolatè cuſtodire Fideles ipſos Divina juſſit Sapientia: *Curam babe de bono nomine, boc enim magis permanebit tibi, quàm mille Theſauri pretioſi, & magni*. Eo autem pacto, quo Honeſti hominis Decus non labefactatur, idcirco quòd de Doctrina, aut de quapiam in quavis Diſciplina opinione, homo non laudetur; ita nulli ſubjacet detrimento, quòd aliquis Doctrinam hanc, & opiniones minùs probet, quod perinde eſt, ac ſi dixeris, ſi eas ad Criticam revocet, quæ ſolum Laudi, ut oſtenſum eſt, adverſatur. Non inficior, tum Laudem, tum Criticam injuſtas eſſe poſſe; ſed aliud eſt injuſtum, aliud injurium eſſe. Critica autem, donec ab illa abſit lædendi, feriendique voluntas, injuria eſſe non poteſt. Si hoc unum deſit, Injuria deſtruitur. Finis verò, & ſcopus Critici, qui nihil aliud eſt, quàm Veritatem, ut infra patebit, perſequi, a fine Injurioſi, qui unicè eſt alium vituperare, immane quantum diſtet. Si Critici Judicium, eo quòd injuſtum ſit, Injuriæ, & contumeliæ loco habendum eſſet, contumeliæ pariter, atque Injuriæ genus eſſet injuſtè laudare, quod ferè non contingit, niſi cum in perverſum laudatoris ani-

animum illud Taciti cadit: *peſſimum genus inimicorum laudantes*. Hinc quemadmodum, quantumcumque injuſta Laus, ſi animo non iniquo proferatur, injurioſa non eſt; ita Critice unicâ injuſtitiæ causâ injuriæ vultum non induet. Neque illa ex ulcerato animo prodire præſumi poteſt, ut de Injuria præſumere æquum eſt; nam rerum naturam præſumptio ſemper conſequitur. Itaque finis Criticę, de nativa ſui Innocentia, innocens præſumi debet, niſi quid certò conſtet ex adverſo, probeturve. At Injuriæ finis, peſſimâ illius conditione, nocens credendus eſt, in tantum ut Injuriam paſſus, hoc arbitrari jure ſuo queat, quoad is, qui Injuriam intulit, honeſtè rem interpretatus, aut decenter retractans, aliter ut de ſe putetur, ſentiaturve, efficiat.

Corn. Tacit. in Vita Agricolæ.

Fauſt. D. lib. 4 cap. 1. Attendol. D. lib. 1. cap 5. Pigna D. lib. 3. cap. 2.

CAP. III.

Diluuntur quædam adversùs antecedens Caput objecta.

Contra ſuperiùs firmata, & poſita, difficultas poſſet inſurgere, quam maturè antevertere neceſſe habeo, cum præcipuè Peſcetti dogmati innitatur, ubi ait, infamiam Literato ab ignorantiæ nota reſultare. Cui primum omnium reponendum eſt, ex recentioris Galli Sententia, non eſſe ejus, qui modeſtè, urbane-

Orlan. Peſcet. de Hon. Dial. 3.

baneque Criticam exercet, ignari nomine quemquam notare. Sat erit Critico, quid alius ignoret, oſtendere; nec illi ignari nomen ingerere audebit. Sed adhuc rectiùs reſpondendum eſt, alieni Ingenii Cenſori non licere omnimodam in iis, quas expendit, Diſciplinis inſcitiam cuiquam opponere, cum ſatis ſit ſi eum deprehenſos in iiſdem lapſus, & ſingula ab illo ignorata, edoceat. Quod idem ſonat, ac ſi dixeris, poſſe illum coarguere quaſi lapſum ex inſcitia, non quaſi planè inſcium: inter quæ quantum interſit infra palam fiet. Si quis in iis, quas ſuſcepit, Facultatibus rudis omnino, ac indoctus eſſet, proptereaque omnimodæ in illis hebetudinis accuſaretur; non ſine illius peccato hoc ei contingere aſſereretur; utpote ſponte ſua, & dedita opera ea ſtudia profeſſo, a quibus undequaque alienum eſſe ſe intelligeret: quæ culpa, non tam ad Intellectum, quam ad Voluntatem, & ad mores pertineret. Duplex ignorandi modus eſt; alter ut omnino planeque aliquid neſcias; alter ut quædam tantummodo circa illud, non cuncta, neſcias. Qui primo modo ignarus eſt, neque tamquam moratus Vir, neque tamquam Literatus, veniam excuſationemve poteſt reperire. Id autem non alia de cauſſa, quàm quia ad quæ ſtudia & munera animum quis adjicit, ne in iis peregrinus omnino ſit, citra culpam, eamque voluntariam, conari debet. At cum ſermo eſt de partiali circa ali-

Abbé de Villiers des Livres de Critique pag. 216.

ca aliquid inſcitia; ſi miſeratione, & venia dignus eſt, qui hujuſmodi Vitio, etiam in materia morum, laborat; multo magis excuſationem meretur, qui in aliquo ad Scientias ſpectante, labitur opinione. Eoque minùs, ſi hæc ignorantiæ ſpecies in Sententiis, opinionibuſque alicui opponatur, contumelioſè, injurioſèque id fieri affirmandum eſt: nam hujuſmodi lapſus, & errata, facilè e rebus obſcurè imperfectèque cognitis exoriuntur. *Puniunt ..... eos* (Verba hæc pridem protulerat Ariſtoteles, & poſtea Poſſevinus) *qui aliquid eorum ignorant, quæ legibus continentur: quæ quidem ſcire oportet, nec ſunt difficilia cognitu*. At ex adverſo neque damnandum, neque turpe eſt, quædam in genere morum ignoraſſe, cum multa ſæpe in vita accidant, in quibus, quantumlibet communibus Inſtitutis imbuti, hærent quandoque Homines, incerti quid potiſſimùm exequantur. Et multo magis culpa vacat Scientiarum abdita, eaque, quorum notitiam aſſequi maximè arduum eſt, neſciiſſe; in his enim uſuvenit diſceptationibus, ut alter altero ſeriùs, ſæpe etiam neuter rem quæſitam attingat. Denique *ob ignorantiam agere, & ignorantem agere*, diverſa ſunt: quæ Ariſtotelis Verba, a Moribus ad Scientias traducta, abunde oſtendunt, longiſſimè hæc duo diſcrepare: eſſe penitus in aliqua Diſciplina indoctum, & in eadem uno, alterove errore prolabi. Illud evenit, quo ad hæc

errata,

Pigna Duel. lib. 3. cap. 3.

Ariſt. Ethic. lib. 3. Lect. 11.
I. B. Poſſev. de Hon. l. 2.

Ariſt. Ethic. lib. 3. Lect. 3.

errata, quod docuit idem Ariſtoteles: *Omne quod ob ignorantiam eſt actum, non ſponte quidem eſt actum*, dummodo, ſi errorem agnoveris, non libeat in illo pertinaciter, & deditâ opera perſiſtere. Hinc ſi quis a Critico Monitore erroris, qui perſpicuus ſit, jure redargutus, adhuc in illo hærere tenaciùs mallet, næ ille honeſtatis jacturam ſibi parum eſſe cordi oſtenderet. Quæ Animi contumacia ſi abſit, & præter intentionem quis aberret; nullum bonæ famæ & exiſtimationis detrimentum ſubit, ut & D. Tho. ſenſit, hæc Ariſtotelis verba exponens. *Non autem vituperatur aliquis propter involuntarium*. Quare illud unicè neſciendi genus inhoneſtum eſt, & vituperatione dignum, quo vel cuncta (quod niſi volenti non contingit;) vel aliqua tantùm neſcias, quæ tamen vitio voluntatis ignorare velis. Hæc dogmata eo loco complexus eſt Ariſtoteles, ubi hæc habet: *Non enim ea ignoratio, quæ facta eſt electione, cauſſa eſt, ut aliquid invitus quiſpiam faciat, ſed pravitatis. Nec etiam ea, quæ eſt univerſalis: homines enim propter hanc ipſam reprehenduntur, ſed ea quæ eſt ſingulorum, in quibus, & circa quæ eſt ipſa actio. In his enim commiſeratio locum habet, & venia: qui namque aliquid eorum ignorat, invitus agit*. Igitur cujuſpiam errores circa Scientias palam facere, ſeu (quod idem ſonat) ejus partialem inſcitiam in Literariis facultatibus detegere, omni dehoneſtamento vacuum eſt; agnovitque id

Idem ibi.

Idem ibi.

Ariſt. ibi.

etiam Peſcettus, ex cujus Scriptis, quæ objecimus, collecta ſunt. Et quamquam ille dehoneſtos eſſe affirmet omnes, qui aliquo bono carent, quod eſt ad illius boni privationem; dictum tamen vel emendat, vel explicat, dum ſubdit, *vel ut magis propriè loquar, non boneſtos.* Itaque & ille Romeo conſentit, cujus Auctoritate dilucidè oſtenſum eſt, non turpiter carere aliquem Honore illo, qui Scientiis, & Artibus acquiritur; indecorè autem orbari altero Honore, quem *ingenitum* nuncupavimus, quique fluit ex Virtutibus morum de quocumque jugiter præſumendis. Et certè error opinionis in Literato Viro deprehenſus, quemadmodum non probitatem, ita nec Honeſtatem ab illo eripit. *Non autem ex hoc quòd opinamur bona, vel mala, aut vera, vel falſa, dicimur boni, vel mali*; ita egregiè D. Thomas Ariſtotelis Ethicam exponens. Honorem ſola Voluntas, non Doctrina, aut Opinio gignit; eo modo quo Virtutem ipſam, cujus merito Honor exiſtit, eadem Voluntas parit. *Ideo aliquis dicitur ſimpliciter bonus homo ex hoc quod habet bonam voluntatem. Ex hoc autem quod habet bonum intellectum, non dicitur bonus homo ſimpliciter, ſed ſecundum quid, puta bonus grammaticus, vel bonus muſicus.* Quæ cum ita ſint, liquet, Virtutes quidem Ingenii, rectaſque, aut falſas Opiniones, a Voluntate hominis non pendere; Virtutes autem vitæ, & morum, & bonos maloſque habitus ab iiſdem emanantes,

Or'and. Peſcet. de Hon. Dial. 3.

D. Thom. in Com. Ethic. Ariſt. lib. 3. Lect. 6.

D. Thom. ibi.

a Voluntate progigni: adeoque indecorum aliquando cenſeri poſſe, aliquid particulare circa mores ignoraſſe; aliquid verò particulare circa literas neſciiſſe numquam inhoneſtum poſſe judicari. Immo ex ipſius Peſcetti Verbis *cum nullus ſit præter Deum, cui aliquid boni non deſit, unuſquiſque præter Deum erit aliquo modo inhoneſtus*, optimum arguendi modum pro hactenus propugnatis, ni fallor, eruimus. Etenim ſicuti Deus Opt. Max. unus eſt, in quem nulla omnino cadit ignorantia; ita is ſupra omnem Cenſuræ aleam unicè eſt conſtitutus. Hinc fit, ut nemo poſſit ignominiæ ſibi vertere, quod in aliquibus ad rem literariam ſpectantibus, Critici ope, lapſus eſſe doceatur: nam quotus quiſque eſt, quantumlibet abſolutiſſimus, qui ſe omni majorem nota, omniſque expertem inſcitiæ arbitrari poſſit? Hæc omnia, quæ curſim attigimus, Præceptores de Honoris Diſciplina permovere, ut aſſererent, quòd negans propoſitionem, quæ ad aliquam Scientiam ſpectat, non loquitur in injuriam alieni Honoris: quòd talis naturæ aſſertis non reſpondetur hoc Verbo *Mentiris*, & ſic reſpondens facilè ruſticus & procax judicaretur: quòd denique literarium diſſidium, dummodo proprios fines non excedat, injurioſum ſuapte natura minimè eſt; quod initio purgandum, ſtatuendumque ſuſcepimus.

Orland. Peſcet. de Hon. Dial. 3.

Cam. Bald. de his, quæ vocantur Mentite Cap. 17. Lib. pri.

CAP. IV.

CAP. IV.

Quomodo Critica, non tantùm licita ſit, & honeſta, ſed utilis, ac quomodo ipſa a ſuo officio deflectat.

I. IMmeritò ergo commoventur, ac conqueruntur, qui Criticam a contumelia non ſatis diſtinguunt, ſummoque in errore verſantur, *dum injuriam ſibi fieri, ac ſe ſuſque deque haberi credunt, ſimul atque aliquid ad ipſorum dicta reponis; immo quo objectiones validiores, & rectiores ſunt, eò vehementiùs ipſorum iram, & ſuperbiam provocant.* Procul dubio vel priſca ætate, cum adhuc viveret Iſocrates, hujuſcemodi ingenii homines extitiſſe fatendum eſt, ut juſta de cauſa pronunciaret: *Magna pars eorum, qui aliqua de re monentur, non ſuam utilitatem ſpectant, ſed eo moleſtiùs quæ dicuntur accipiunt, quantò quis diligentiùs errata ipſorum exiſtimat.* Porro qui adeo Cenſuræ eſt impatiens, elati plùs æquo, & ſibi placentis animi redargui facilè poteſt; dum in ſui obſequium aliorum ingenia mancipare contendit: quaſi Majeſtas Principatus, quem in literis affectat, ab iis læderetur, qui ſibi opinione diſſentiunt. In hujuſmodi indolis Hominem optimè quadrat, quod de Agrippina ajebat Tiberius, *ideo lædi, quia non regnaret.*

P. Malebran. De Inquir. Veritat. Lib. 4. Cap. 8.

Iſocrat. in Buſir.

Tac. Annal. Lib. 4.

Verùm imperitiæ quoque iidem a Terentio, & meritò quidem, notantur.

Terent. Adelph. Ac. 1. Sc. 1.

Homine imperito numquam quidquam injuſtius,
Quod niſi, quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Quamquam, ut mitiùs judicemus, tenerioris animi, ac auris delicatulæ iſtud vitium eſt, cui ipſamet veritas, ſi non adblandiatur, perdura, ac aſpera videtur, atque etiam mordax, ut cùm Perſio eloquar:

Perſ. Satyr. 1

Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas?

II. Si ſatis tum privata, tum communis utilitas perſpecta fieret, ſtudioſiores hujuſmodi cenſurarum eſſemus; quemadmodum Cicero, qui, utpote duplicis hujuſce proventus apprime gnarus, ad oppugnandas ſcripto ſuas ſententias alios incitabat: *Tantum abeſt, ut ſcribi contra nos nolimus, ut id etiam maximè optemus: in ipſa enim Græcia Philoſophia tanto in bonore numquam fuiſſet, niſi doctiſſimorum contentionibus, diſſenſionibuſque viguiſſet*. Addo quod Veterum plurimorum fama ad nos minimè perveniſſet, niſi Cenſura, ad inſtar (propè dixerim) balſami cujuſdam, eorum memoriam ab interitu vindicaſſet, & inſignis alicujus adverſarii dignitas eorum nomen ab oblivione eripuiſſet. Et ſanè nil magis opera, quæ eduntur, commendat, illuſtratque, quam Critica. Mediocris nominis Scriptoribus talis honor haud contingit (ait Bailletus) vel quia brevi duratura eorum fama

Cic. Tuſcul. Lib. 2.

Monſieur Baillet Jugemens des Scavans Tom. 4. par. 1.

ſama neminem ſibi invidum facere poſſit; vel quia exigua adeo ex eorum operibus utilitas deprehendatur, ut Criticorum curioſitatem ad defectus in ipſis perſcrutandos non commoveat. Licet verò per ſe ipſos clari ſint ii, quos petit Critica; eorum tamen nomini per illam accreſcit dignitas, dum contentione interim ingenium excitatur. Atque hoc, juxta Baconi ſententiam, maximum eſt ex æmulatione Beneficium. *Sicut enim ferrum acuit ferrum, per gloriam hanc animi acuuntur, & excitantur.* Id ipſum confirmat, appoſitiſque exemplis declarat Petrarca: *nam & languidis inſtare rubiginem, & clara quælibet, & ſolida, auri in morem, attrita, & confricta niteſcere.* Et alibi: *Clariorem fecit Æſchines Demoſthenem, Salluſtius Ciceronem, Æmilianus Apulejum.* Quamquam nihil opus exemplis, ſemper enim patuit effati illius, quod eſt apud Euripidem, Veritas:

Bacon. Verul. Sermon. fidel. cap. 52.

Petrar. Rerum Senil. Epiſ. 21.

Idem Epiſ. Fam. Lib. 5. Epiſ. 21.

Sapientibus optabile eſt
Habere inimicum ſapientem.

Eurip. Heraclid.

Quamobrem jure maximo cenſuit Dionyſius Halicarnaſſeus, injurioſum ſe non fuiſſe Thucydidi, dum ejus opera ſubtiliſſimè, atque accuratiſſimè excutienda ſuſcepit: quod exemplis a vetuſtate petitis perſpicuum fecit: *Duobus tamen ero contentus, Ariſtotele, & Platone. Atque Ariſtotelis quidem, non omnia optimè a Magiſtro ſuo Platone tradita exiſtimat; ...... Plato etiam ipſe Parmenidis, Pythagoræ, Zenonis, atque alio-*

Dionyſ. Halicarnaſ. Iudic. in Thucydid.

aliorum errores conatur indicare; neque tamen eſt quiſquam, qui hoc illi vitio vertat, cum ſciat, unam veritatis cognitionem Philoſophantibus eſſe propoſitam.

Sed quid controverſias Ethnicos inter Philoſophos, nedum inter Grammaticos, memoremus, genus hominum garrulum præ cæteris, ac jurgioſum? Ipſi etiam auctoritate ac Sanctimonia præcellentes Eccleſiæ Doctores apertè inter ſe ſcripto contenderunt: Baſilius Magnus cum Nazianzeno: D. Leo Pontifex cum D. Hilario Arelatenſi: S. Epiphanius cum Sancto Chryſoſtomo: D. Hieronymus cum D. Auguſtino: ut cæteras ſileam controverſias, in quibus acriter inſtitere Religioſi admodum viri adversùs alios doctrina præſtantes, nec certè ab Eccleſia Dei ſejunctos.

P. Theophil. Raynaud. de ma. ac bon Libr. Erotem 9. anum 255. uſque ad 160.

III. Præterea in iis argumentis, quæ a nulla dogmatum certitudine pendentia liberis ingeniorum diſcurſibus patent, quæ nimirum nihil de Religione proponunt, quonam fræno libertas opinandi coërceri ſe patietur? Privilegium illa quoddam eſt humanæ naturæ; quamquam ſane miſerandum, quandoquidem ab ejuſdem naturæ infirmitate obortum, quæ promptior ad altercandum eſt, quàm ad verum inveniendum. *Mundum tradidit diſputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus eſt Deus.* Quam ſæpe accidit, quod ſemper contingere cenſet Cornelius Agrippa: *Nam cum nullus*

Eccleſiaſt. Cap. 3. ver. 11.

nullus ſit ſermo, qui non recipiat contradictionem, nec ulla argumentatio, quæ non poſſit per aliam ſubverti; inde eſt, quod ad nullum finem ſcientiæ, ad nullam cognitionem veritatis per dialecticas diſputationes homines pervenire poſſunt. Verum quamquam rarò admodum deprehenſæ Veritatis laudem mereatur veritatis ſtudioſus; eam tamen promeretur ſemper, quod induſtri, conſtantique inquiſitione aſſequi ſaltem contenderit. Porro privilegio ſuperiùs memorato honeſtè utitur, tum qui Verum ipſe inveſtigat, tum qui alteri demonſtrare nititur, a vero illum declinaſſe. Hinc vel ipſa errata ſunt perutilia, cum ab aliquo palam fiunt; ac volumina falſis licet conſperſa ſententiis, Reipublicæ literariæ obliquo ſaltem tramite conducunt. Nullum eſt tam parvi ponderis opus, quod apti Critici induſtria ad nos inſtruendos non conferat. Deniqueeamdem ob cauſam, qua laudandus quiſquis veritatis inveſtigator; ob eamdem nemo laudandus, qui in animum ſibi inducat veritatem reperiiſſe inexpugnabilem. Quare ſpectata Scientiarum incertitudine, *nos qui ſequimur probabilia, nec ultra id, quod veriſimile occurrerit, progredi poſſumus* (ſic nempe profiteatur unuſquiſque) *& refellere ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia parati ſumus.*

Corn. Agrip. de Incertit. & Vanit. Cap. 8.

Abbè de Villiers des Livres de Critique, pag. 248.

Cic. Lib. 2. Tuſcul.

IV. Equidem cenſeo, moralem mundum abſque ullo prorsùs incommodo poſſe utique tum Satyris, tum Satyricis carere: quippe pa-

rænefes publicæ, ac familiares objurgationes vicem eorum ſatis implerent. Verum quei ſine Criticis ſtaret diu Reſpublica literaria, haudquaquam ſcio. Sublata ſiquidem facultate ſententiis ſententias opponendi, aptiſſima excolendorum ingeniorum ratio interiret, quæ ſin minus ad veritatis acquiſitionem rectâ perducit, errores certè illos ſummovet, qui ejus inquirendæ viam maximè obſtruunt. *Satius eſt, ut ab errore quiſque poſſit faciliùs expediri, majorem concedi libertatem in Republica literarum, quàm in cæteris, ubi novitas eſt ſemper periculoſiſſima.*

P. Malabrãche de Inquir. Verit. Lib. 4. Cap. 8

Quàm felix Reſpublica hæc literaria, ſi ab ipſa ſeditiones, ac tumultus ſemper exulaſſent legibus a Critica impoſitis apprime ſervatis. Si poſitis viciſſim altercationibus & conviciis, quiſque ex alterius Cenſura beneficium arripuiſſet, & pro ſe dictum accepiſſet, quod contra ſe dictum fuit, nondum in Republica literaria adverſarii & hoſtis inviſa nomina audita forent. At abſurdi hujuſmodi cauſſam affert alter Gallus Scriptor. Si conſuetudo invaluit, inimicum, & Criticum eodem oculo inſpiciendi; hoc certè evenit, quia mores hoſtium Critica quoque ſibi uſurpavit. Tales autem mores, ubi in Rempublicam literariam invehantur, præcipua jura in pacifico Muſarum Regno jamdudum ſancita, infringuntur. *Sit aliqua inter ſtudioſos contentio, ſed abſit a maledictis, a contumeliis, a rixis, & ut ſunt expertes invidentiæ*

M. Baillet Iugemens des Sçavans Tom. 4. Par. 1. Eclarcis.

Abbè de Villiers des Livres de Critique pag. 213.

Claud. Minois ad Emblem. Alciat. 179.

dentiæ Muſarum fores, ſic ne admittant quidem jurgia. Jure quidem merito excanduit contradicenti ſibi Juſtus Lipſius, eo quia opuſculum adversùm ſe editum inſcripſerit *Lis ſeu Proceſſus*. Alia planè ſunt, ac eſſe debent Academiarum, & Fori diſſidia. Ibi ſtudioſus expers iræ, ſuas placidè proponit opiniones. Cauſidicus contra

> *Hic clamoſi rabioſa fori*
> *Jurgia vendens improbus, iras*
> *Et verba locat.* *Senec. Trag. Hercul. Furen.*

Quamobrem vehementer commotus eo ſtudio, quo honorem ſuum, non minùs quàm Scientiarum, proſequebatur, hiſce planè verbis adverſarium reprehendit: *Ego miror magis hanc rationem ſcribendi, quàm indignor: & ad poſtremas non reſpondi, quia nos diſſerere poſſumus, & volumus; non litigare.* *Iuſt. Lipſ. Apolog.*

V. Attamen Indoctorum turba plauſibus ad aſtra evehit eos, qui & acriùs, & licentiùs declamant. *Qui verboſior eſt inter eos, videtur doctior.* *Corne. Agripp. de Sophiſt.* Immo apud Judices hujuſmodi, *facile eſt, cuiquam videri reſpondiſſe, qui tacere noluerit.* *D. Auguſ. de Civ. Dei lib. 5. Cap. 27.* Vulgarem, ac plebejum hunc morem adſcripſit Jovi Lucianus, ut hominum ludibriis maximè deridendum objiceret. Itaque illum, dum Damis, & Timoclis contentioni intereſſet, huic faventem confinxit, quod vehementiùs clamitaret, & affluentiùs convicia in Adverſarium congereret. Hæc autem ſunt faceta Jo-

vis verba: *Hac equidem una ratione noſter præpollet multo maximè, nam vocalius, & intenſius exaſperat omnia. Euge vero, o Timocles mala in hominem perditum ingere convicia; in hoc enim omnis tua vis ſita eſt.* Nimis ſolemne eſt vulgo faciliores aures accommodare temeritati, quam modeſtiæ, & arrogantiam ſinceritatis nomine nuncupare: Quem morem planè vilem appoſitè animadvertit Tacitus: *Obtrectatio, & livor pronis auribus accipiuntur; malignitati falſa ſpecies libertatis ineſt.*

Lucian. Iup. Tragœd.

Tacit. Hiſt. Lib. 1.

Cum in maledicta, ac contumelias ſe ſe effundit Critica, tum profectò ejus natura depravatur, tum omnino ab inſtituto deflectit, tum denique non honeſtatem modo, ac utilitatem, verùm etiam propriam ſui æquitatem amittit: idque cognovit Landus, dum abundè quamplurimas prævaricationes recenſet, in quas publicæ diſputationes, etſi optimo jure inſtitutæ, tractu tamen temporis excurrere ſolent, ſcilicet in oſtentationem, in ambitum, in convicia, & denique in malevolentias.

Land. Action. Moral. Lib. 1. Vol. 1.

Inter leges, quas juſſit ſapienter Plato, hanc quoque ſtudioſis indixit: *Quicumque cum alio de re quapiam ambigat, diſcat potius, doceatque tam ambigentem, quam præſentes, ita ut omni convicio prorſus abſtineat. Cum ſibi invicem verbis turpibus maledicunt, muliebres habentur.* Et certè muliercularum eſt in hoſce clamores ſe ſe effundere, quarum contentiones partim in mendaciis,

Plato de Legibus Lib. 11.

daciis, ac ineptiis, partim in conviciis ſitæ ſunt:

> *.......... Ut mulieres*
> *Quæ iratæ, contemptione pro perniciosa,* *Home. Iliad. Lib. 20.*
> *Contendunt mutuo, mediam in viam euntes,*
> *Multa verà, & non: Ira autem & iſta jubet.*

Appoſitiſſima eſt Homerica comparatio (cui fortè alluſit & Plato) ad exhibendas diſceptantium iras, adeo ut ea uti quaſi cogatur, quiſquis hac ſuper re argumentum inſtituit. Ea porro uſus eſt Ariſtophanes de Poetis præſertim jurgioſis loquens:

> *Reprehendere, & reprehendi modeſtè,* *Ariſtoph. Ranæ.*
> *Conviciis vero non decet inter ſe Poetas certare, quemadmodum*
> *Mulierculæ ſolent panes vendentes.*

Ea uſus eſt Petrarca, ut Oppugnatoribus ſuis inurbanitatem objiceret. *Sicut in plateis Urbium rixantur aniculæ, in Roſtris litigant Cauſidici, in Fornicibus Lenones, in Tabernis Ebrii; ſic in Scholis diſputant Philoſophi.* *Petrar. Præf. Invectivæ cõtra Medicum.* Et ſane ut eos maxime dedecet hic mos, quorum præ cæteris eſt rectæ diſceptationis normam exhibere, ipſi enim *alios coërcendi jus habent*; *Claud. Min. ad Crubl. Alciat. 179.* ita plane ii irriſionem Petronii promerentur, qui ad hæc jurgia propenſos, ſub ſigno Arietis ortos commentatus eſt; *Quiſquis naſcitur illo ſigno, habet caput præterea durum, frontem expudoratam, cornu acutum: Plurimi hoc ſigno Scholaſtici naſcuntur Arietini.* *Petron. Arbitr. Satyricon.* Neque vero æqua eſſet eorum de Ariſtophane ex-

poſtulatio, qui vaniſſima hæc capita nubibus veſci confinxit his verbis, quibus irriſum Socratem Strepſiadi præcepta tradentem inducit: *Non enim per Iovem ſciebas, quod plurimos hæ nutriunt ſophiſtas, Vates, Medicos, Philoſophos?*

Ariſtoph. Nebulæ.

A Tullio ergo edifcatur æqua diſceptandi ratio: *Differentium inter ſe hæ reprehenſiones non ſunt vituperandæ; Maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationeſque in diſputando pertinaces, indigna mihi Philoſophiâ videri ſolent.* Et, ſi forte reprehenſione opus ſit, ne ſeveritati admiſceatur contumelia: *magna autem parte clementi caſtigatione licet uti; gravitate tamen adjuncta, ut ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur.* Immo a D. Hieronymo percipiat quiſquis admirabile hoc documentum, quo tum ſibi, tum contradictori ſuo præcipit, *ut abſque ullo rancore Stomachi in Scripturarum diſputatione verſemur, & vel noſtrum emendemus errorem, vel alium fruſtra reprehendiſſe doceamus.* Modò hujuſcemodi ratio in contentione ſervetur, neuter ex differentibus (ſi ſanus uterque ſit) læſum ſe ducet; quemadmodum ſe nequaquam offenſum a contradictione ipſemet S. Doctor in eadem Epiſtola profitetur: *nec tam ſtultus ſum, ut diverſitate explanationum tuarum me lædi putem, quia nec tu læderis, ſi nos contraria ſenſerimus.*

Cic. de Finibus. Lib. 1.

Cic. de Offic. Lib. 1.

D. Hieron. Epiſ. 91 ad Auguſ. Edit. P. Manut.

Idem ibi.

CAP. V.

CAP. V.

Quem finem ſpectet, & circa quid verſetur vera Critica.

I. IRritus tamen hactenus ceſſiſſet labor, ſi cum duplex genus literariæ diſceptationis innuerim; unum quidem rectum, & probitati, virtutique maximè proximum; alterum verò iniquum, & a laude alienum; accuratiùs non deſignarem principia, & cauſſas, a quibus prava hæc declinatio ſenſim oritur, & ſubinde Critica in Contumeliam degenerat. Itaque ex duplici præſertim capite contingere id ſolet; ſive nimirum a fine Criticæ conſtituto deflectas; ſive ultra materiam Criticæ attributam contendas.

II. Et primum, quod ſpectat ad finem, is eſſe debet profectò ſtudium veritatis, quemadmodum docet præ cæteris D. Thomas, ſubjectum Ethicæ locum exponens, ubi aſſentitur in primis Ariſtoteli, nonnullis Platonicis præceptionibus adverſanti: *Verùm meliùs forſitan & oportere videbitur, ſua quoque præſertim apud Philoſophos pro veritatis ſalute refellere: nam cum ambo ſint amici, ſanctum eſt bonori veritatem præferre.* (*Ariſt. Ethic. lib. 1, lec. 6.*) In quam rem uberiùs hîc differens Angelicus Doctor, præclarè ſtatuit; *melius eſſe, ideſt magis boneſtum, & ad bonos mores pertinens, & omnino oportere, ut bomo non vereatur oppugnare familiares* (*D. Thomas Commentar. Ethica Ariſ. lib. 1, lec. 6.*)

ſuos

ſuos pro ſalute veritatis. Eſt enim hoc adeo neceſſarium ad bonos mores, ut ſine hoc virtus conſervari non poſſit. Niſi enim homo veritatem familiaribus præferret, conſequens eſſet, quod homo falſa judicia & falſa teſtimonia proferret pro defenſione amicorum; quod eſt contra veritatem. Et quamvis univerſaliter ratione pertinente ad homines veritas ſit præferenda amicis, ſpecialiter tamen hoc oportet facere Philoſophos, qui ſunt profeſſores ſapientiæ, quæ eſt cognitio veritatis. Neque hujuſmodi rationibus penitus acquieſcens, idipſum effert Platonis exemplo firmatum. *Juxta hoc etiam eſt Sententia Platonis, qui reprobans opinionem Socratis Magiſtri ſui dicit: quod oportet magis de veritate curare, quam de aliquo alio. Et alibi dicit: Amicus quidem Socrates, ſed magis amica Veritas. Et in alio loco: de Socrate quidem parum eſt curandum, ſed de Veritate multum.*

D. Thomas ibi.

De quo pariter Poſſevinus agens, ubi de Honore, aſſerit, nedum ab ejus legibus non recedere diſcipulos, ſuorum Præceptorum ſententiis repugnantes; ſed & eiſdem (quoties aliter ſentiunt) ad id potius cogi. Quandoquidem veritatis amore adſtringi nos putat, non ut Magiſtris dumtaxat noſtris, ſed & nobiſmetipſis contradicamus, ubi præſertim Philoſophi fuerimus. Id itaque illis omnino agendum fore (pergit idem Auctor paulò infra docere, de Philoſophis loquens, ac de eorum altercationibus) ut Veritatis amatores ſe probent, non ut calumnias

Ioan. Bapt. Poſſev. de Honore Lib. 3.

nias inferant, non ut Doctrina Præceptores ſuos antecellere videantur. Reddidi hîc conſultò expreſſum ejuſdem Auctoris ſenſum, utpote qui facilem nobis viam ſternat ad producendas duas illas cauſſas, quæ Criticam plerumque extra ſuæ inſtitutionis regulas rapiunt. Criticus itaque, cui unicè propoſitum ſit, calumnias in adverſarium conferre, jam non Critici, ſed Injurii, & maligni nomen, & infamiam ſubit; neque eſt, cur de ipſo a nobis hîc ſermo inſtituatur. At verò qui in hac literarum contentione ſtudet, in primis ſeſe æmulo præſtantiorem oſtendere, is ex facili ſuperbum ſe exhibet, & bonarum artium, vel ex eo minùs habentem, quod in his multùm valere ſibi tribuat: *nam ut ſcripſit aliquando Hermolaus* (quem in ſua Apologia Picus Mirandolanus refert) *non poteſt non indoctus eſſe, qui ſe doctum credit*; atque id tum maximè, cum hujuſmodi quidem haberi contendit, talis verò haud eſſe deprehenditur. Quamobrem longè aberrat is, qui in hac re gloriæ colligendæ ſtudio præſertim ducitur; ejus quippe inquiſitio tunc unicè æqua eſſe poteſt, quando cum maximo, & ſupremo fine, veritatis nimirum inveſtigatione, conſentiat, eòque collimet, ut ſe tamquam ejus Repertorem efferat, non ut æmulum viciſſe ſuperbiat. *Non ut confuſione obruam quem Critica peto, ſed ut Homines inſtruam* (ita ſenſit nuperrimus Auctor Gallus, hoc idem argumentum diſertiſſimè

Apologia Io. Franc. Pici.

Abbè de Villiers des Oeuvres de Critique pag. 214.

tiſſimè tractans) *ipſam inſtituere mihi licet*, quo ſanè ſenſu non aliud innuere viſus eſt, quàm gemina hæc, publicam nimirum eruditionem, & aſſecutæ veritatis manifeſtationem, in unum tamdem coaleſcere. Sola igitur cupido præſtandi cæteris neminem fas eſt ad hoc literarium certamen impellat; neque profectò Sapientes cenſendi ſunt ii, qui *haud ſecus quàm animantes brutæ pugnando ſolam ſibi victoriam proponunt*. Verùm peiùs admodum ab hoc fine deſciſcunt, qui ſolùm ex ingenita quadam diſſentiendi cupiditate, diſputationes inter ſe conſerunt, *ut qui non tam victoriam appetant, quam certamen, nec veri inveniendi, ſed altercandi propoſitum ſit*. Ad exprimendum inane hoc, ſive potiùs pernicioſum inter literatos decertandi genus, optimè quidem aſſumptum fuit atrox illud certamen, quod finxere Poetæ inter bellatores effuſis a Cadmo dentibus ſatos. *Hæ armatorum copiæ, ex his dentibus ortæ, ſtudioſorum quorumdam factiones oſtendunt, qui livore quodam, & æmulatione graviore moti, ſibi mutuam inferunt internecionem, dum ſcriptis ultro, citroque editis, vel etiam verborum concertationibus rixantur*. Hinc veteri Adagio *Cadmæa Victoria* ea dicitur, quæ *cum exitio eorum qui vicerunt* conjuncta eſt. *Vitium propius virtuti*, Gloriæ libidinem Salluſtius appellavit; verùm adjecit proximè *Ambitio multos Mortales falſos fieri ſubegit*. Etenim, quamquam rectè queat Criticus gloriam avere, at-

Euſeb. apud Stobæū. Sermon. 4.

Corne. Agrippa de Incertit. & Vanit. Sciētiar. C. 8.

Claud. Monois ad Emblem. Alciat. 185.

Eraſm. Adag.

Salluſt. Catilinar.

que

que ejus aſſequendæ curam cum ſtudio veritatis componere; fieri tamen poteſt, ut ex duobus hiſce objectis improbè illud huic præferat, atque ideo a recta ſua inſtitutione paulatim diſcedat. Quin eò deduci ulteriùs poteſt, ut & Adverſarium deſpiciat, & ipſe demum in falſitates procumbat; ita ut munere veritatem ſtudiosè exquirentis prorſus abacto, ſuperba primum meditetur, deinceps injurias cogitet, poſtremò in mendacia, & calumnias erumpat. Quocirca evolvendæ veritatis ſtudium, uti ſummus, ac neceſſarius ejus finis, Critici ante oculos ſemper verſetur, eâque ratione vel intenſius, vel remiſſius ſit, prout res, de qua agitur, magis minuſve ad communem ſpectaverit utilitatem. Etenim in propugnandis adversùs hæreticorum pertinaciam Theologicis aſſertionibus, acrior profectò, quam in rebus cæteris Religioſi Doctoris contentio erit: deinde rectè operam collocabit, qui nervos omnes intendet, ut lucem afferat dubitationibus, ſive ad moralem Philoſophiam, ſive ad Phyſicam facultatem ſpectantibus. Quapropter, aut civilem Scientiam, aut Legalia, aut Mathematica, aut etiam Phyſica agitantes, æquiùs omnino ingenii vires exerere debent, quàm qui Poëticam lucubrationem, aut quid hujuſmodi leve Cenſor expendat. Nugæ enim ſunt iſta, quamvis teſtetur Horatius *hæ nugæ ſeria ducunt;* idcirco lenitate maxima utebatur Quintilius Varus in corri-

P. Albert. de Albertis adverſ Gaſpar Sciop. Cap. 9. §. 3. n. 41. P Theophil. Raynaud de Bonis ac malis libris. Partit. 1. erotem. 9. n. 152.

Horat. lib. 2. Epiſt. 3.

corripiendis vatibus; neque proprias labes ei detegere admodum nitebatur, qui ſe alienum ab iis tergendis ſuperbè proderet,

Idem ibi.

Si defendere delictum, quam vertere malles,
Nullum ultra verbum, aut operam ſumebat inanem,
Quin ſine rivali teque & tua ſolus amares.

III. Verùm quodcumque demum exiſtat doctrinæ genus, ad quod Critica ingenium applicet, quemadmodum ſumma communiſque lex eſt, quemlibet finem a ſtudio veritatis eſſe dirigendum: ita diſputationes inſtituenti æquè honeſtum erit ſententia vinci, ac vincere, atque id tum maximè quum cauſſæ meritum, & erroris depellendi communis utilitas poſtulat. Ideo ob hanc ipſam averſationem, quam ſapiens, nedum erga alienos, verum etiam erga proprios errores gerere debet, egregiè dicere ſolitum Platonem accepimus, eò meliùs eſſe corrigi, quam corrigere, quò majus bonum eſt a maximo liberari malo, quam alterum liberare. Præclarior profectò victor exiſtet ille, qui proprium errorem disjecerit, obfirmatumque in ſua ſententia animum fregerit; quam qui Adverſario errorem ab ipſo admiſſum aperiens, e certamine ſuperior evaſerit. Divi Hieronymi hujuſmodi ſenſus eſt, quo maximè in ſuo adversùs Luciferianos dialogo uſus eſt; *non*

Io. Bapt. Poſſevin. de Honore lib. 3.

ſolum

ſolum te viciſſe exiſtimes: vicimus utrique: uterque noſtrum palmam refert, tu mei, ego erroris: eumdemque iterum retulit in Controverſia cum D. Auguſtino: *Cumque tu viceris, & ego vincam, ſi meum errorem intellexero.* Digna profectò monumentis ſententia, quam antea pronunciaverat Minutius Felix in Octavio ſcribens: *Vicimus, & ita ut improbus uſurpo victoriam, nam ut ille mei victor eſt, ita ego triumphator erroris.* Digna, inquam, quam factis unuſquiſque exequatur, quemadmodum verbis illam nonnulli aſſecuti ſunt. Præ cæteris Picus Mirandulanus in celebri ſua Apologia eam complexus eſt, dicens: *quandoquidem qui ſuccumbit beneficium a victore accipit, non injuriam, quippe qui per eum locupletior domum, ideſt doctior, & ad futuras pugnas redit inſtructior.* Jam verò præſtat partem hanc verſu quodam abſolvere ex duodecim Romanorum tabulis deſumpto: *Salus Populi ſuprema lex eſt:* quoniam maxima planè lex ſcientificas quæſtiones aggredientis, eſt ingeniorum ſaluti enixè conſulere, atque ipſa, quantum fieri poteſt, ab ignorantia vindicare, intellectus noſtri malo omnium deterrimo.

D. Hieronym. adverſus Luciſer. Dialog.

D. Hieronym. Auguſtino.

Minut. Felix in Octavio in fine.

Ioan. Franc. Pic. Apologia.

Bacon de Veru. Sermon. fidel. Cap. 54.

IV. Hactenus de fine, nunc de materia pauca quidem, ſed quæ ad rectam Criticæ inſtitutionem plurimum facient dicenda ſunt. Porro hîc de ea materia agemus, quæ ſpecialiter Criticæ eſt propria; non verò de illa, quam ſubinde exhibet ſive una, ſive altera quæſtio in

quacunque Scientia, vel Arte; de ea inquam, quæ Criticam in primis aliam a Satyra, aliam a Calumnia efficit, & quæ ideo etiam ſpectanda maximè eſt, quòd hæc Criticam ejus cauſsâ nonnumquam a recto declinantem apertiùs utique prodat, quàm vel ipſa mox enarrata finis obliquitas, ſitque ejuſdem verè eſſentialis, ut ita loquar, character. Etenim quem finem Criticus ſpectet, non adeo elucet, ut facilè ab unoquoque deprehendi, ac dignoſci queat, cum fieri ſæpiùs poſſit, ut quis turpi admodum, ac maligna cupiditate impellatur, & eam nihilominus verborum lenitate, aut quadam dicendi modeſtia callidè ementiatur. Contra qui a ſubjecto diſceſſerit, palam tenetur, neque ampliùs ſe ſubducere excuſationibus, aut expoſitionibus iis poteſt, quibus facili negotio errorem ſuum cohoneſtabit, aut ſaltem obnubet, ille, qui finis tantum tranſgreſſor extiterit. Duas autem regulas in eo, quod ad Criticæ materiam pertinet, ſeverè cuſtodiendas propono. Prima eſt, ut qui Critici officio fungi velit, intellectus errores ſolummodo attingat: ſecunda ut (tali ſubjecto ſibi propoſito) ad nihil aliud extra quæſtionem ſe transferat. Quare qui de moralibus ejus, quem notat, dotibus ſermonem intulerit, pravos videlicet mores, aut culpas, quæ a voluntate proficiſcuntur, attingendo, is primæ regulæ violator habebitur; qui verò epiſodia quædam de induſtria conſectabitur, quæ

Abbè de Villiers des Livres de Critique pag. 210.

aut

aut nihil, aut quàm minimè ad Controverſiam conducunt, contra alteram peccaſſe certò ſe noverit. Ut verò poſtremæ hujus Regulæ violatio Cenſuræ levitati; ita prioris ferè ſemper tribuenda fuerit malignitati. Quapropter maximo literarii orbis infortunio prodire dixerim Criticos quoſdam libellos, quorum moles, ſi id omne expungeretur, quod allatis regulis adverſatur, dimidio plus ſæpe decreſceret, & quandoque etiam in nihilum prorſus abiret. Quidquid enim in hujuſmodi libris extra ipſam Controverſiam eſt (ſepoſita licet cujuſcumque Scandali occaſione) id omne inanis jacturæ temporis, pretio nimis æſtimabili, tum Scriptoribus, tum legentibus conſtat; neque aliud eſt, ut appoſitè ſcribebat Lipſius, quàm ventus & fumus: *de re, de re pugnemus; non amo ventilationes, aut ventos*. Si quis verò extra ſtatutos limites non niſi per jocos deflectat, id unicè optandum fuerit, ut illos modeſtia quadam mitiget, ac condiat, cum *duplex omnino ſit jocandi genus, unum illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum; alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum*. Poſtremi hujus jocandi generis uberiorem uſum Satyræ; tenuem admodum, & ſolùm aliquando, Criticæ indulſerim. Neque ideo abnuerim ego, capita quædam, præſertim nullius momenti, juxta Tertulliani ſententiam, acutis quibuſdam ſalibus aſpergenda potiùs, quàm ſeverè tractanda eſſe: *Multa* (ait) *digna revinci,*

Iuſt. Lipſ. Apolog.

Cic. de Offic. lib. 1.

Tertul. Apologet.

ne

ne gravitate adorentur: vanitati propior feſtivitas: aut ſaltem lenitas hæc cum quadam moderata ſeveritate miſcenda eſt: *Severitudo & facetiæ ad obtrectationem frangendam bellè alternantur*. Quod ſi Criticus in hujuſmodi jocis nimius ſit, aut ſe riſus immoderatè ſtudioſum prodat, haud meliùs in officio contineri poterit, quàm adhibita in hanc rem Senecæ contra quemdam exprobratione: *Si ridere perſeverabit, gaudebo tamquam in malis, quod illi genus inſaniæ bilare contigerit*.

P. Albertus de Albertis adverſ. Gaſpar Sciop. in Præfat.

Seneca Epiſt. 29.

Quemadmodum autem cuicumque pernicioſius erit, præcipitem ſeſe abjicere in prærupta, quàm a recto tramite abduci paululum; ita deterius longè maximè, ac damnabilius putabitur in injurias ruere, quàm hujuſmodi digreſſionibus inutiliter oberrare. Nemo profectò, qualicumque Judicio polleat, ſibi ita facilè in animum inducet, quomodo in ſcriptis alterum afficere injuria, ab aliquibus vocari poſſit Criticæ librum conficere.

Abbè de Villiers des livres de Critique pag. 217.

Ex dictis affatim conſtare reor, quantùm inter ſe diſtent hæc duo; erroribus nimirum ab intellectu ortis ſeſe opponere, aut contra alienæ mentis ſententias niti; & errata in iis maximè, quæ ad mores referuntur, perſequi, aut alienæ voluntatis actus habituſque perſtringere. Quare ſi verè abhorret Criticus Satyrici perſonam induere, ſtudetque abſtinere ſe ab iis omnibus, quibus calumniator effingitur, curet impri-

imprimis, ut de hujuſmodi rebus præceptum nobis a Tullio traditum integrum, inviolatumque cuſtodiat: *Imprimis provideat, ne ſermo vitium aliquod indicet in moribus*. Satyricus, immo Calumniator, citò exiſtet ille, qui ſibi in literariis concertationibus morum caſtigationem proponat. Quod ego peccandi genus immane prorſus, atque abominandum palam appellare auſim; cum infra meritum ſit illud ſolummodo cum Claudio Minois ridiculum eſſe arbitrari: *Nonne prorſus ridiculum eſt, eos ſe mutuis injuriis proſcindere, in vitam, moreſque debacchari, & falſis criminationibus æmulos onerare?*

Cic. de Offic. Lib. 1.

Claud. Minois ad Emblem. Alciat. 179.

V. Equidem illud etiam animadverto, quod maximè ſtatutis proximè principiis congruit, Criticum mores arguentem, odioſius opus, ac longè pejus, quam Satyricum edere: cum enim hic generatim loquens nomina comprimat eorum, quos culpat: Criticus, qui mores invadit; Satyrici limites non ingreditur modò, ſed prætergreditur, eos videlicet carpendo, quorum nomina juxta ſuæ inſtitutionis facultatem protulerat. Criticus itaque perversè atque improbè utitur ea libertate, quæ ſibi ex officio competit, cum ad alienam materiam illam traducit, in qua plerumque libertas hujuſmodi ferenda minimè eſt. Hac enim de re ſæpiſſimè efficitur, ut ipſe, & Criticæ limites in Satyrici materiam deſiliendo perrumpens; & fines Satyræ ab univerſali hominum ad particula-

cularem hominem ſermonem transferendo excedens; tamdem neque Criticus jure, neque Satyricus habeatur; ſed quamplurimùm præter opinionem ſuam Calumniatori ſe affinem faciat.

VI. Quare exquiſitè adeo, ac ſeverè conſervandas arbitror regulas, quas de materia tradidimus, ut ſubtili admodum cuidam Robortelli diſtinctioni perlibens aſſentiar, Sigonius licet ab ea diſſentiat. Primus acriter contendit apud Tullium maximè diverſum eſſe *contra quemdam* ſcribere & *in quemdam*. *Inſcriptio* (ait) *In, & inſcriptio Contra multum inter ſe diſtant: Nam ſi quando accuſat Cicero, & reprehendit aliquem acriùs nominatim, tunc inſcribit Orationes ſuas In, ut in Vatinium, in Marcum Antonium, in Piſonem, in Verrem. Si quando autem diſſeritur adversùs aliquem in Senatu, dum dicuntur Sententiæ, videtur Idem Cicero exiſtimaſſe contra debere tunc Orationem inſcribi, quod confirmatur teſtimonio, & verbis ipſius.*

Carol. Sigon. Emend lib. I. Cap. 19.

Franc. Roborel. Variar. Lect. Annot. Cap. 37.

Equidem qui ſcriptioni cuidam titulum inderet *In Aliquem* videri poſſet contentione ſua adverſarium invadere; at qui *Contra aliquem* tamdem inſcriberet, non Auctorem ex profeſſo, ſed ejus placita ſolummodo inſectari videretur. Ideo poſtrema hæc inſcribendi ratio cum Critica optimè conſentit; priorem verò nonnihil dixerim cum accuſatione congruere. Ille autem, qui accuſatione ſua vel eò proceſſe-

ceſſerit, ut præter Intellectus errores, qui propriam Criticæ materiam conſtituunt, morales etiam perſequatur, minùs tamen pernicioſæ Indolis habebitur, quàm qui injuriis, & vituperiis unicè cum adverſario rem gerat: *Aliud eſt maledicere, aliud accuſare; Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet; Maledictio autem nihil habet propoſiti præter contumeliam.* Quibus omnibus planè conſtat, per quos veluti gradus eò ſenſim ruat Critica, ut a materia ſibi conſtituta diſcedens, primùm cum Satyra, tum cum Accuſatione, deinde cum Injuria, poſtremò cum Calumnia turpiter commiſceatur.

Cic. Orat. pro Marco Cælio.

CAP. VI.

Nonnulla dubia afferuntur circa varias conditiones Hominum, inter quos agitur Critica.

I. SI itaque in concertationibus doctrinalibus nequaquam perſona perſonæ, ſed rectiùs opinioni opponitur opinio, ut proptere redarguendus ſit cenſuræ modus ille, quo *quaſi in Perſonis, non in rebus ſit accuſatio;* vix opus erit expendere dubia, quæ moventur interdum circa diſcrimina perſonarum, inter quas contentiones hujuſmodi concitantur. Ex aliquorum Sententia minimè conducit contra eos, qui infra nos ſunt, tum gradu, tum fama,

D. Hieron. ad Pammach. & Marcellin. Apol. adverſ. Rufinum.

in arenam literariam deſcendere: quandoquidem pares cum his manus conſeruiſſe eximia videri poſſit honoris jactura; de iiſdem verò triumphaſſe, aut exigua, aut nulla ſit gloria. Inter cæteros huic Sententiæ tum videtur ſubſcripſiſſe Lipſius, cum inquit: *nec deprimere adverſarium meum poſſum, niſi attollam*. Compertum eſt mihi, minores homines, vel ex hoc ipſo quod minores, acrioribus ad provocandum ſtimulis incitari; uti jam comperta fuit Tacito *minoribus major æmulandi cura*. Æquiùs nihilominus ferendum eſt, quòd quærant *magnis inimicitiis clareſcere*, dummodo ex Majorum conflictu incrementum nominis ſibi præparantes, ab omni omnino convicio ſobriè, ac reverenter abſtineant; ne ſcilicet illud in ipſos quadret: *ſe ſcelere fieri volunt Nobiles*. Sancitum antea fuit, licere diſcipulo, quem veritatis ſolò ſtudio moveri modeſtus indicat loquendi modus, agere vel contra Magiſtrum. In diſceptantium quippe congreſſu, non perſonarum momentum, ſed rei potius, ſeu difficultatis attendendus eſt valor: ſicque *res cum re, cauſſa cum cauſſa, ratio cum ratione pugnabit*. Adde præcipuum cenſuræ finem non in eo ſitum eſſe, ut nobis gloriam comparemus, adeoque alterius dignitatem, quocum res habetur, minimùm decet nos reſpicere. Neque hanc Theophraſtus ipſe reſpexit, dum quamdam ex trivio inter Græcas mulieres, Leontium nomine, quæ adversùs ipſum ſcripſe-

Iuſt. Lipſ. in Dedic. Apologiæ.

Tacit Hiſtor. Lib. 4.

Idem Hiſtor. Lib. 2.

Plaut. Rudens.

Cicer. Oratio pro Marco Cælio.

ſcripſerat, refellere aggreſſus eſt. Quòd ſi unicè habita perſonarum ratione, alteri quidem cenſuram permitteres, alteri verò inhiberes, eodem plane modo te irrideret Satyricus, quo eos carpit, qui eadem modò vitio vertunt, modò virtuti; perinde ac ſi deterioris conditionis cauſſa illud criminandum foret in minoribus, quod in majoribus laude dignum cenſetur.

Refert ergo quis hæc eadem paret: in Rutilio nam Iuven. Satyr. XI.
Luxuria eſt; in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & a cenſu famam trahit &c.

Si parum refert ſubdi Magiſtro, de cujus virtutibus nondum conſtat, quas ſcilicet adhuc immatura ſuppreſſit ætas, aut ulla nondum expreſſit occaſio, ut penes Platonem ajebat Laches: *neque mihi curæ eſt utrum ſit præceptor junior, vel nondum opinione hominum clarus, vel aliud tale quod habeat;* minùs etiam referre debet, ut congrediamur cum adverſario nullius nominis. Eſto enim attendatur Altercantium conditio, ſi quando in cauſſa injuriarum contendimus, aut armis dimicandum eſt (in quo etiam caſu non anxiè nimis perpenditur) hæc certè in proferendis opinionibus attendenda non eſt. Id unicè propterea ſapientis eſt, animadvertere, ſcilicet an aut revelandæ veritati, aut documento multorum expediat ea refutare, quæ veroſimilia objiciuntur. Quod ſi quæ habenda eſt ratio illius, quocum contendimus, non alia hæc fue-

Plat. Laches de Fortitud.

rit, quàm ut intelligendis noſtris reſponſionibus ſit aptus; illud quippe ſæpe contingit, ut

Euripid. Bacchæ.

Recta dicens apud imperitum, delirare ei videatur.

Hæc autem regula, ſicut & reliquę omnes, cum iis rectè cohæret, quæ circa Finem, Subjectumque Cenſuræ, præfixa ſunt, item futiles quaſdam, & abs re poſitas contentiones avertit. Poſtremò Hieronymi ad Auguſtinum ſancitur exemplo, cum ait: *nec ego tibi, ſed cauſſa cauſſæ reſpondet.*

D. Hieron. Auguſt Epiſ. 94. Edit. P. Manut.

II. Aliud præterea dubitandi caput eſt: videlicet an qui cenſuram adhibet, non tantùm poſſit, verùm & debeat, nomen illius exprimere, adversùs quem agit: quod licere Cenſori jam dictum eſt; ſecus Satyrico. Ulteriùs, an qui objicit, ſe ipſum teneatur prodere, ne ſcilicet, ſuppreſſo nomine, vilis habendus ſit, perinde ac non auſus ſit apparere. Duo hîc quæruntur, quibus Auctor quidam Gallus planè ſatiſfacit. Primæ dubitationi reſpondet, inutile ſaltem dicens, nomen promere Perſonæ, cujus opinio, vel Opus in controverſiam vocatur, dum ipſum nomen facilè taceri poſſit. Quinimmo, ut idem ſentit, a tali nominatione abſtinendum eſt, ne averſari magis perſonam videamur, quàm opinionem: non enim aut nomen, aut conditionem Auctoris, ut plurimum, exprimit, niſi qui Auctoris potius perſonam, quàm opinionem inſectari intendit. Circa illud

Abbé de Viliers des Livres de Critique pag. 220. & 221.

Idem pag. 222.

autem,

autem, quod ulteriùs quærebatur, num qui objicit, proprium nomen proferre debeat, exiſtimat nonnullas poſſe rationes Cenſori ſuppetere, ut proprium nomen occultet; ſed nullas ſuppetere illi poſſe, ut alterum inſectetur injuriis. Redarguendi quidem ii ſunt, qui nedum ſemetipſos non produnt, verum & affectant tegi, ut extra Criticæ limites in contumelias erumpentes, eas impune proferre poſſint. Ille ergo dumtaxat vilis habendus eſt, qui poſtquam alteri irrogavit injuriam, adhuc latet, & latendo ſe pœnæ ſubtrahit, quam meritus eſt. Quiſquis idcirco percipit, quantum inter ſe differant duo hæc; nempe injuriam inferre; & afferre cenſuram (quorum apertiſſimum eſt diſcrimen): is nullo negotio intelliget, in iis, quæ cum injuria committimus (de quibus ſolùm procedit hæc lex) ſicuti adversùs ſingularem quempiam, ſuppreſſo ejus nomine, agi non poteſt; ita neque præterire ſui ipſius nomen citra vilis Animæ notam Scriptori alicui licere. Secus verò in materia Critica ſicuti Scribentis nomen ſupprimere, ita & Adverſarii, prorſus erit permiſſum: quamquam ſi caſtigatiùs loquamur, non eſt hîc locus titulo Adverſarii, cum opiniones tantùm, non Perſonæ, invicem adverſentur.

Idem pag. 218.

Idem ibid.

III. Tertium, quod in controverſiam adducitur, ſtat in hoc: liceatne iis objicere, qui mortui ſunt, aut ſcriptis illorum, doctriniſve

quid-

quidquam opponere. Quod ſi quis negaret; interrogarem, num Platone Socratem, ac ſubinde Ariſtotele Platonem ipſum oppugnante, adhuc extarent ii, adversùs quos commota lis erat; ſeu an his ſublatis, ab incœpto illi protinus ſubſtiterint? Ulteriùs peterem, num cæca quadam veneratione, ſeu, ut meliùs loquar, inani erga antiquitatem ſuperſtitione, improbandi per nos ſint recentiorum labores mundo cæteroqui utiles? Denique interrogarem, an ii, qui ſi conferantur nobiſcum, antiqui dicendi ſunt; recentiores verò dicebantur, cum antiquioribus comparati; ita ſe continuerint, ut eam majoribus venerationem maluerint adhibere, quæ ſcriptis illorum atque doctrinis omnino ſubſcriberet? Profunda eruditione non eſt opus ad hoc, ut ſciamus, antiquos, non minùs erga præmortuos, quàm erga viventes jus cenſuræ ſibi tribuiſſe. Ridendus præterea ille eſſet, quicumque crederet, opinionem quampiam eatenus authenticam, atque infallibilem fieri, quatenus auctores illius e vivis abiere, perinde ac expediret mori, ut ſuis inde dictis accreſceret æſtimatio.

Abbé de Villiers de la Satyre pag. 317.

Faceta quidem, nihilominus plena fuco, Poetę cujuſdam Galli carmina mox referenda diriguntur in quempiam, qui ſola mortuorum Opera fide, & æſtimatione proſequebatur.

M. le C. de Buſſy Rabutin cité dans les Remarques critiques Chap. 105.

Tu n'eſtime les gens que des Siecles paſſez;
Pardonne mon aveu ſincere & legitime.

Se ne

Je ne t'eſtime pas aſſez,
Pour vouloir par ma mort meriter ton eſtime.

Quiſquis improbat celebre illud ſævire in mortuos, eos tantùm caſtigat, qui ipſorum moribus temere maledicunt; nuſquam verò libertatem coërcere nititur, quæ eorumdem opinionibus adverſetur: adeoque non videtur in hanc rem detorquenda damnatio; ne ſubjectum Cenſuræ cum Subjecto Satyræ confundamus; ne voluntatis crimen, ab eo, qui error eſt intellectus, omninò non diſcernere videamur; & ne demum dicamur, virtutes ipſas morales, ac intellectivas male ex æquo metiri. Non diſputo autem hic, an in mortuos injuriæ cadant, quod toties videtur negandum, quoties ad eas requiratur, ut ipſas ii ſentiant, ac intelligant, quibus inferuntur. Id ipſum etiam prætereo, quod ſuperiùs innui, convenire ſcilicet mortuis famam potius, & gloriam, quàm honorem ipſum, qui ignominiæ oppoſitus eſt, & in quem unicè injuria dirigitur. Omitto pariter nonnullos Ethicæ locos, in quibus videtur ſentire Ariſtoteles, mortuis injurias non adhærere, præcipuè verò ubi de morte habet: *Eſt enim ultimum vitæ, & nihil poſt homini mortuo, aut bonum, aut malum eſſe videtur.* Omitto, inquam, hæc omnia, quod enim agitatur in præſentia, eam unicè cenſuram reſpicit, quæ doctrinales de re quacumque opiniones ad examen revocet; non

Rinald. Corſ. de Pace num. 77. e 79.
Iacob. de Caſtil. lib. 2. Cap. 4.
Ariſt. Ethic. lib. 3. lec. 14.

eam,

eam, quæ quidquam moribus detrahat, de qua tum præcitato in loco, tum alibi etiam Philoſophus viſus eſt loqui.

Mihi numquam ad manus venit liber, qui Abbati Sancti Realis tribuitur; novi tamen inſtitutum ipſius. Contendit ille, honeſtius eſſe, ac rectius in mortuos, quàm in viventes, cenſorem fieri. Nonnulla ex fundamentis hujus refert ſæpiùs citatus Abbas de Villiers. Hujuſmodi autem illa ſunt: Videri nempe, cum in mortuos ſcribitur, tolli ſuſpicionem quamdam invidiæ, nec locum eſſe ſecretæ cuidam audaciæ, quæ ſæpiùs alterum alteri ex numero viventium opponit. Mortuos exuendo vitam, doctrinæ ſimul, ac gloriæ ſuæ valedixiſſe, perinde ac iſtiuſmodi illorum bona devolvantur ad publicum. Demum penes ipſos etiam Gentiles maximè in uſu fuiſſe vel adversùs mortuos cenſuram agere, quamvis Majorum ſuorum memoria pluris illis eſſet, quàm nobis; ideo fortaſſe, quia præter eam, quæ nominis eſt, aliam non agnoſcerent æternitatem. Verùm, etſi Abbas de Villiers (cujus ego Judicium ſequor) hujuſmodi opinionem omnino non probet, non ego tamen auſim decernere (quod nec ille decernit) adversùs mortuorum ſcripta, minùs quàm contra vivorum Opera licere cenſuram. Hæc ſiquidem per ſe redarguenda non erit, niſi fortè aberrans a recto, in Satyram potiùs aut injuriam divaricetur. Quidquid igitur de vivente

Abbé de Villiers de la Satyre pag. 113.

vente prolatum, neque Satyræ, neque Injuriæ nomen meretur, hoc idem de mortuo prolatum vel Satyræ, vel Injuriæ ſpeciem nullatenus poteſt induere. Revera quoties veritatis ſtudio, non famæ acquirendæ, moveatur Criticus, perinde ille erit, ſive ſcriptis mortuorum objiciat, ſive viventium. Secus ſi quempiam inanis tantùm ſuaſit ambitio, ut hominum vitâ functorum ſcripta redarguat; facilè enim ex eorum ſilentio, & impotentia reſpondendi, famam ſibi ac utilitatem captare voluiſſe videbitur, & exiguo labore hunc ſibi titulum comparare, quod eos rectè impugnarit. Hoc autem quod perverſę Politicæ eſt, & non rectè moratæ Cenſuræ, ſapiens nequaquam reſpiciet Cenſor, ut ex dictis abundè liquet. Quapropter jure Auctor ſæpe citatus, alterum diſcernens ab altero, affirmat, nil penitus differre, ſeu in mortuos, ſeu in vivos Cenſuram exerceas, ſi charitatem reſpicias; ſed tantùm, ſi Politicam: ideoque faciliùs defunctis objici, quia hoc ut plurimùm plus habet impunitatis. Talis profectò Criticus, politicæ, non veritati ſtudens, non eſt, de quo ſermonem inſtitui; nec tale eſt Criticæ inſtitutum, quod licitum, utile, honeſtumque contendo.

Idem ibi pag. 117.

Ultimo demum non abs re hìc notandum cenſeo, quòd poſita circumſtantiarum paritate, ſcilicet poſito, quòd æquè legitimi ſint fines, & ſubjectum Cenſoris, vel adverſùs viventes,

vel adverſùs mortuos res agatur, eò etiam progredi licet, ut dicamus, magis conceſſum contra mortuos, quàm contra viventes, controverſiam literariam inſtituere; ſimilitudine ducta ab eo, quod pariter minùs improbetur in ordine morali, ſi quid mortuis detrahas, quàm ſi quid vivis. Conſonat hoc Theologorum axiomati, ubi de Injuria ſic limitant: *Levius autem, cæteris paribus, erit peccatum, defunctis detrahere, quàm vivis; tum quia ab eis minùs fama exiſtimatur; tum etiam quia minùs damnum ipſis infertur, quia ad rectè vivendum fama non indigent, ſicut vivi*. Ipſe tamen, juxta citatum ſæpiùs Abbatem, caput hoc concludo, ſtatuens, utrumque æque permiſſum eſſe, dummodo caſtigatus opponendi modus, qui utrobique morali, vel politicâ tantum lege exigitur, ubi cum mortuis res agitur, pleniùs, atque exactiùs ſervetur. Vir idcirco Chriſtiana Religione apprime inſtructus parem utriſque ſe præſtabit, & hoc unum aget, ut accuratiùs conſulat (ſi poſſibile eſt) mortuorum, quàm viventium exiſtimationi.

Salmaticen. Tract. 13 de Reſtitut. Cap. 4 P. 5. §. 1. num. 35.

L'Abbè de Villiers de la Satyre pag. 118.

CAP. VII.

De Provocante Critico, & de Provocante Injurioſo.

I. Apud homines frequentiorem nimis locum obtinet Critica, quàm ſtudium Regularum, Criticam ipſam dirigentium,

tium, eamdemque commendantium. Sæpe accidit, modeſtè leniterque literariam controverſiam exoriri; at verò modeſtè progredi raro uſuvenit. Non minùs enim linguæ quàm calami lubricus curſus eſt; ita ut ſcribenti aptari poſſit, quod de loquente dictum eſt: *Ex parvo initio hominibus magnam contentionem lingua facit.* *Euripid. Andromach.* Exhibenti oppoſitionem aliquam, licèt injuſtam, & infirmam, dummodò materiam ſcientificam placidè oppugnet, certum eſt, æquè placidè reſpondendum. Enimverò quid opus eſt homini, injuſta Cenſura laceſſito, ut loco defenſionis injurias alteri inferat? Et tamen (quod literarum infortunium eſt) ſi raros habemus Scriptores, qui quemquam in Criticum Judicium appellantes, intra limites rectæ provocationis ſe contineant; rariores profectò videas, qui reſpondentes, intrà meræ reſponſionis fines coërcere ſe valeant. Neque hîc ſiſtunt abuſus; ſunt enim qui, ut occaſionem arripiant Satyram edendi ſub nomine Apologiæ, ſe provocatos ſigillatim dicunt, ac in ſe jactum volunt, quod Auctor de pluribus in genere pronunciavit.

Abbè de Villiers des livres de Critique pag. 243.

Idem ibi pag. 235. & 236.

Idem ibi pag. 234.

Aberrant ſanè ipſi nimiùm a recta via, vanaque gloriæ captandæ cupidine diſtracti, aliò prorſus eunt, quàm quò ire contendunt. *Neminem umquam fuiſſe credo, qui maledictis, & conviciis in alium jactis, honeſtiorem famam mereri potuerit.* Non vident, non modò gloriam quæ-

Claud. Minois ad Emblem. Alciat. 179.

rere non eſſe Critici ſcopum; ſed nec eum, qui ſic quærit, aliud agere, quàm ut proprio dedecori viam ſternat. Nihil eſt, quo vel peſſimus quiſque Auctor apertiùs probare queat, ſe miſerum prorſus Auctorem eſſe, quàm ſi modeſtæ oppoſitioni, injurioſè reponat. Quicumque diſſertare nequit ſine aſperitate, ad philoſophandum rationabiliter minimè eſt aptus: non enim conviciorum ſubterfugia quæruntur, niſi cum ratio deeſt. Ideo ſi quis in Sententiis ſuis confirmandis fundamento caret, tunc irritatur, tunc ſuccenditur, tunc toto animo, totoque corpore commovetur; nec priùs componitur, quàm ſuus ei furor perſuaſerit, Adverſarii contemptum pro victoria eſſe, Injuriamque Syllogiſmi locum dignè occupaſſe. Hæc verus Sapiens fugit, atque adeo averſatur, ut qui placidè ſibi oppoſita ſuſtinet, ille ſciens dicatur; nullumque ſit Doctrinæ validius argumentum, quàm compoſita Adverſarii Auſcultatio: *Neque enim ulli patientiùs reprehenduntur, quàm qui maximè laudari merentur*. Naturalis, & inſita Sapientibus modeſtia eſt, & *tantum abeſt ullum illorum, qui ſolidè docti ſunt, quidquam de ſe glorioſiùs dicere, ut alio etiam dicente erubeſcant*. Iſti amore Veritatis, quam colunt, in odium impelluntur Pertinaciæ; quapropter Ariſtippus, videns indoctos alienis correctionibus tam facilè recalcitrare, *interrogatus, in quo differant docti ab indoctis: quo* (inquit) *domiti equi ab indomitis*.

Abbè de Villiers des Livres de Critique, pag. 128.

Plin Epiſt. 20. lib. 7.

Stob. Serm. 22.

Diogẽ. Laert. in Vita Ariſtippi.

II. Di-

II. Dictum eſt, quomodo honeſtæ Cenſuræ, Apologia honeſta correſpondere debeat; nunc dicendum, quomodo reſpondendum ſit aut Cenſuræ injurioſæ, aut injurioſæ Reſponſioni, aut etiam Replicationi injurioſæ. Etenim, progrediente diſſertatione, Convicii auctor evadere poteſt, tam ille in quem, quàm ille, ex quo Critica fuit: ſcilicet, tam ille, qui primæ ſcientificæ oppoſitionis ictum ſenſit, quàm etiam ille, qui talem ictum emiſit. Undecumque injuriæ procedat occaſio, aut a Provocante ad Criticam, aut a Provocato; pro certo ſit, eum ſemper Injurioſum Provocantem fore, qui primus eruperit in injurias, etiamſi in Critica, Provocati partem egerit. Sic in ſermonibus, non modò ſcientificis, ſed cujuſcumque ſint materiæ, quos inſtituunt homines, ſi fortè querimonia excitetur: non ille auctor querimoniæ dicitur, qui fuit Sermonis; ſed ille, qui læſæ Urbanitatis auctor extitit.

III. In enumeratis igitur caſibus, concedendum videtur offenſo, par reddere offenſori; in quantum nimirum contumeliis afficiens, contumeliam accerſit, ac in quantum tali vi adversùs humanam infirmitatem pollet injuria; ut contumelioſus ſæpiſſimè ſecum abripiat a finibus modeſtiæ præſcriptis eum, quem contumelia vexavit.

Hæc reſpondere voluit, non laceſſere.
Benè dictis ſi certaſſet, audiſſet benè. *Terent. Phormion. Prolog.*

Hæc

Hæc vocabula, *maledicere*, *malè excipere*, ad eum propriè referuntur, qui neque aſperas voces, neque duras manus meritus eſt; ubi verò ad aliquem referantur, qui malè de aliis ſit meritus, tunc ſuam amittunt ſignificationem.

Plaut. Curcul.

Indignis ſi maledicitur, maledictum id eſſe
dico;
Verum ſi dignis dicitur, benè dictum eſt meo
quidem animo.

In quo quæſo culpandus ſum (ajebat Dinarcus apud Plautum), ſi tu me præ furore aggrediens, ipſe in te derivas id, quo doleas?

Plaut. Truculent.

Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet:
De nihilo illi eſt iraſci, qui te non flocci facit.

Hoc injuriæ remedium adverſùs eximios etiam viros per leges licet. *Imperator*, inquit Suetonius, *ita pronunciavit: non oportere maledici Senatoribus; remaledici civile, faſque eſſe*. Idque ea fortaſſe de cauſſa lex indulſit, quum cerneret ad Detractorum auſus contundendos, opportunam, non modò publicam caſtigationem, ſed etiam privatam maledicti confeſtim compenſandi facultatem: *Si quidem nihil magis Maledici linguam frænat, quam mordacioris alterius linguæ metus*. Numquam in Mundo defuere homines pravæ illius indolis, quam refert Tacitus, ſcilicet qui ſuam audaciam aliena metiuntur manſuetudine, quique uti vires a patientia adverſarii ſumunt, ſic ex adverſo cadunt animo, ſi virilis reſiſtentia ipſis objiciatur. Talis erat Vitellius

Suetoni. In Vita Veſpaſ. Cap. 9.

Petrarca Epiſt. 12. lib. 5.

tellius

tellius ille' *optimum quemque jurgio laceſſens, & reſpondenti reticens, ut pavida ingenia ſolent*. Erga iſtos modeſtia uti perniciosum eſſe pene dixerim; ſibique noceat quodammodo vir moderatus, ſi procaces hoſce homines moderatione ſua dignetur. Accidit autem aliquando, ut nonnulli temperatiſſimæ Indolis, infauſtam maledicendi artem diſcere coacti fuerint a mordaciſſimis Adverſariis, ſicuti eam didiciſſe a Medico ſibi temere inſultante, faſſus eſt Petrarca. *Hoc didici in Scholis, ubi impertinens & ineptus Conviciator docere non potuit, quod neſcivit*.

Tacit. Annal. lib. 14.

Petrar. Pręf. invectivarū contra Medicum.

IV. Quamplures ex iis, qui de Honore ſcripſere, ſtatuunt, æquales injurias inter ſe mutuò poſſe compenſari, eaſque tunc Itali Auctores *Rivoltate, e Ritorte* vocant, atque, ut ajunt, *reſpondendo per eadem verba, & retorquendo in ipſum Adverſarium, tunc fit compenſatio, quia paria delicta mutua compenſatione tolluntur*. Notiſſima eſt Heſiodi Sententia

Qualia quis fecit, ſi talia ſufferat ipſe,
Judicium fuerit perrectum, atque exitus æquus.

Fauſt. lib. 2. c. 5.
Mut. lib. 1. c. 12.
Alciat. c. 11.
Vrea Part. 2.
Rinald Corſ. c 7. num. 95. 100.
Iacob. de Caſtil. lib. 4. c. 4.

Hæc carmina quidam ex Conſulentibus, de re Injuriarum retortarum agentes, adducunt; quamvis injuria proveniens ab eo, qui præcedenti injuria laceſſitus fuit, offenſio dumtaxat, non injuria (ſi rigorosè loquamur) venit dicenda, eò quia non eſt contra jus. Quin etiam hujuſmodi compenſatio verbis mutuò contumelioſis, li-

Rinald. Corſ. in Notis n. 196.
Birag. Deciſ. 6.

ſis, li-

ſis, licèt diverſis, modò non diverſi ſint ponderis, abſolui permittitur. Hinc fit, ut hi, qui mutuis inter ſe certavere conviciis, nulli neceſſariò inter ſe ſatisfactioni teneantur, tacitâque reconciliatione uti ſoleant. Quòd ſi tamen viciſſim ſatisfactionem aliquam ſibi reddunt; id non eò ſpectat, ut privato alicui debito, aut credito fiat ſatis; ſed eò ſolùm, ut publica honeſtas diſceptantium ſcandalo læſa, reparetur.

Rinald. Corſ. C. 7. n. 111.

Camil. Bald. Mentit. C. 65.

Birag. Deciſ. 4.

Verumtamen ex iis, qui de Honore ſcripſere, nonnulli (& hi mea quidem ſententia rectiùs) illatam verbis injuriam retorquendo compenſare, facili potiùs venia quàm laude dignum autumant, viamque, non modò honeſtiorem, verùm etiam efficaciorem, ad Honorem ejus, qui convicio petitur, ſervandum, hanc eſſe dicunt, ſi injuriis affectus, injurias valida negatione repellat. Aliorum verò conſilio, hæc eadem injuriæ negatio, ipſi injuriæ retorſioni, compenſationique adjungenda. Nec deſunt qui perpetuò negationem ipſam memoratæ nuper Injuriarum retorſioni, aut repulſioni, implicitè ſaltem immixtam eſſe contendant.

Lud. Azion. Moral. Vol. 1. lib. 2.
Io. Bapt. Poſſev. lib. 5.
Pompe. de Honor. lib. 3. c. 9.
Birag. Deciſ. 4.
C. Bald. Mentit. C. 11.

Quænam intercedant diſcrimina inter hoc, quod eſt contumeliam propulſare, & eamdem retorquere, ſeu compenſare, non opus eſt hîc oſtendere. De hoc enim nimis nobis dicendum erit, ubi ſuperiores regulæ ad particularem Caſum trahentur, in cujus gratiam eas quidem omnes præmiſimus.

V. So-

V. Solum addam, vel in ipſa Chriſti lege ei quadamtenus indulgendum videri, qui aliena laceſſitus petulantia acre quid reponit.

Non hoc dico, quaſi lex ſancta aut injuriæ, aut ultioni umquam aſſentiatur; ſed quia totum id ipſa indulget, quod favore læſi ſub nomine defenſionis comprehendi poteſt. Illud, quin etiam Apoſtoli conſilium: *Non voſmetipſos defendentes Cariſſimi, ſed date locum iræ*, diverſa a vulgari interpretatione, explicant Chryſoſtomus, Sirus, Tertullianus: legunt enim *Vindicantes*,ubi alii *Defendentes* legunt: & hoc attento penitiori ſenſu Græci vocabuli ἐκδικοῦντες, quod radicitùs inſpectum, *vindicantes* quidem ſonat, potiùs quam *Defendentes*.

P. Albert. de Albert. adverſ. Sciop. Cap. 9. §. 2. n. 9.

Quod ſi a Divino Oraculo in Proverbiis erudimur: *ne reſpondeas ſtulto, juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis*; ex eodem quoque alibi edocemur: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur*: quam deinde apparentem admonitionum diſcrepantiam, ita conciliat D. Hieronymus: *Utrumque namque pro tempore, & Perſonarum diverſitate concordat; dum & ſtultus contemnitur, quia non recipit Sapientiam; & ſtulta ſuperbia, aliâ decutitur ſtultitiâ.* Neque extremi hujus remedii exercendi neceſſitas Sancto ipſi defuit Doctori: Etenim *ita ſtylum acuit Sanctus Hieronymus, ut non poſſit lenis videri; quamvis, quia argumentum, in quo verſabatur, & juſta æmuli compreſſio ſeveritatem depoſcebat,*

D. Hieronym. lib. 1. in Ezechiam.

P. Theophil. Raynaud. de malis ac bonis libris. Part. I. Erotem. 9. n. 152.

bat, innoxia ei fuerit aculeata ſcriptio. Ad hujus autem exempli auctoritatem infirmandam, nihil prorſus confert Eraſmi conſideratio, qui ex hoc auſus eſt aliquod D. Doctoris in modeſtiam peccatum ſuſpicari. *Inſanivit verò Eraſmus in præfatiuncula ad Librum contra Vigilantium, cum dixit, ſe cogi deſiderare in Hieronymo, Vigilantium impugnante, modeſtiam*.

Idem. Partit. 1. Erotem 9. n. 146.

Divus quoque Auguſtinus docuit, quod & Angelici comprobatum eſt auctoritate, *Caninos detractorum Dentes quandoque retundendos*. Atque a Moralis Theologiæ Profeſſoribus hæc Præcepti injurias inhibentis limitatio, quam Salmaticenſes tradidere, communiter recipitur: *ſupponimus etiam, quod per hoc quod alteri crimen objicias, ut contumeliam infringas, & honorem tuum defendas, non pecces, ſi verum eſt crimen quod objicis*. Idipſum contra Adverſarios, licèt non hæreſi, audacia tamen, tumidos, opere præſtitere Scriptores, quorum doctrinam admiramur, vitæque inſtitutionem recolimus. Horumque exemplorum confertam copiam duo docti Viri e Societate Jeſu, P. Albertus de Albertis, & P. Theophilus Raynaudus collegere. Primus in titulum Paragraphi Capitis ſecundi, ponit hæc verba: *Famoſorum Codicum refutatio a Religioſis quoque viris adornata, rationum, & Teſtimoniorum firmiſſimo agmine munita*. Deinde expreſsè decernit, *acria verba, & ſtoica dicta, ubi juſtâ cauſâ, proboque conſilio ſunt comitata, longè a con-*

D. Aug. lib. 2. de Trin.

Salma Trac. 13 de Reſt. Cap. 4. Pun. 2. n. 17. pag. 273.

Vind. adver. Sciop. Cap. 9.

De malis ac bonis libris. Erotem. 9. Partit. 1.

P. Albert. de Albert. adverſ. Sciop. Cap. 10 § 7. n. 46.

a conviciis, & contumeliis disjungi. Alter, tum ex ſupradictorum exemplorum abundantia, tum ex multis eiſdemque benè confirmatis propoſitionibus hæc duo infert: *in vitiis non levibus inquinatos* (tales neceſſario ſunt ii, qui contumelias ingerunt) *fas eſſe adhibere acrimoniam, cum id vel virulentia negotii, vel adverſarii malignitas flagitet*. Et alibi, *in hujuſmodi rebus majorem forſitan veniam meretur ſuccenſere, quàm moderatè agere*.

P. Theophil. Raynau. Partit. 1 Erotem. 9 n. 163.

Idem Partit. 1. Erotem. 9, n. 148.

VI. Quo igitur juſtitiæ principio nixa eſſe poteſt illorum querimonia, qui ægrè ferunt, honorificè in ſe ab aliis non agi, poſtquam ipſi neque Criticæ, neque Adverſarii rationem habuerunt? *Ridiculè ſanè, & admodum inſulsè aliqui, cum prodigi ipſi fuerint conviciorum, & maledictorum in alios, ſi vel verbulo referiantur, aſperitatem incuſant: leviſſimi Judices in Cauſa ſua, ſeveriſſimi in aliena*. Ceſſent ab injuſtis clamoribus (proſequitur eos egregiè increpare Raynaudus) *audiant delicatuli noſtri, qui cum priùs lanceam infixerint, pro repoſita punctiuncula tragicè expoſtulant*. Intelligant, nullum illis jus eſſe, ut ab eo, quem verbis læſerunt, in reſpondendo modeſtiam extorqueant, quam ipſi in eumdem antea violarunt. Porro ſi ille injuriarum magis repulſæ, quam compenſationi, ſtudeat: intelligant, non hoc ab illo in ipſos ex juſtitiæ imperio fieri, ſed ex ſolius magnanimitatis præſcripto. *Fortes & magnanimi ſunt habendi, qui non faciunt, ſed qui propulſant injuriam*. Revera laudabilem, quem

Idem Partit. 1. Erotem. 9. n. 164.

Idem ibi, n. 165.

Cic. de Officiis l. b. 1.

ſibi debet, non quem Adverſario, morem obſervat ſapiens, quoties ita ſe gerit, ut purgatione contentus ſua, ex eadem nolit alteri labem infligi. Atque hoc præclare expreſſit ſequens Juſti Lipſii Allegoria. *Ut in via, ſi quis improvidè prateriens luto me aſpergat, non ego in illum regeram, ſed potiùs me purgem.* Hæc clementia, quamvis mordacibus linguis indigna, ſi in literatis effulgeat, tum ipſorum tranquillitatem ſervat, tum ampliorem ſibi ab hominibus exiſtimationem vindicat. Rectum eſt autem etiam in iis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, *etiamſi nobis indigna audiamus* (hoc quidem eſt generoſum Tullii conſilium) *tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere: quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec ab iis qui adſunt approbari.*

Juſt. Lipſ. in Apologia.

Cicer. de Offiicii lib. 1.

VII. Verùm enimvero Provocantis improbam de aculeata reſponſione ſibi factâ querimoniam, licet ei durum ſit ferre, qui priùs injurioſè laceſſitus acriter reſpondet; non eſt tamen duriſſimum. Intolerabilior quippe adhuc eſt contumelioſorum hominum malitia, qui patrato crimini non modò latebras, & ſubterfugia quærunt, verùm & crimen ipſum vafrè in inſontem ita traducere curant, ut is, qui provocatus fuerat, Provocans Injurioſus videatur; *more vulgi, & ſuum quiſque flagitium aliis objectantes.* Callida revera ars, quam & Auſonius innuit, ubi cecinit;

Tacit. Hiſt. lib. 2.

Se

——— *Se quiſque abſolvere geſtit,*
Tranſtulit & proprias aliena in Crimina culpas.

Inviſum quiſque habere illum ſolet, cui nocuit, ac ſi vel ille ſibi nocuiſſet: *Proprium eſt humani generis odiſſe, quem læſeris*. Verumtamen iſtius odium quò injuſtius eſt, eò juſtius eſſe ſolet illud, quo tantam malitiam æqui homines proſequuntur. Unde apud Sophoclem benè, jureque merito ajebat ille: *Odi, qui in malis deprehenſus eſt, & ſe rectè geſſiſſe contendit*. Offenſoris, qui videri talis refugit, adeo maligna conditio eſt, ut ad invertendam in alterum primi Provocantis notam (quod ei reliquum eſt) injurias injuriis cumulet, & criminibus crimina.

Tacit. in Vita Agricolæ.

Sophocl. Antigon.

Rurſus lædit, deinde novis calumniis
Tegens priora errata, effugit pœnam.

Euripid. Supplices.

Hoc hominum genus convincere difficile non eſt; illud difficillimum, eos in emeritæ pœnæ acceptationem inducere, qua ſe convictos fateantur; itaut in hujuſmodi hominibus comprobari id cernamus, quod de aliquibus nefariis mulieribus Juvenalis protulit

——— *nihil eſt audacius illis*
Deprehenſis; iram atque animos a crimine ſumunt.

Juvenal. Satyra 6.

Itaque ſicuti longo curſu Diſputationis alicujus, quæ in contumelias revoluta ſit, contendentium quiſque Inſtituti Critici violati crimen in alterum ſtudet rejicere; ita haud facilè eſt tunc liquidò oſtendere, quinam ex Diſceptan-

ptantibus primus a traditis legibus abierit. Non facile eſt (inquam) oſtendere, quinam primus Provocans Injurioſus evaſerit; uti facile eſt indicare, quinam ſit Provocans Criticus, hoc eſt qui primus Materiæ ſcientificæ diſputationem introduxit. Primam, arduamque ex his inveſtigationibus impoſterum aggrediemur, diligenter generalia ſuperiora Theoremata componentes cum Controverſia particulari, quę huic morali Tractatui occaſionem prębuit.

CAP. VIII.

Series, & Summa Scripturarum, quæ ab una, & altera parte editæ fuerunt, narratur.

I. UT uno velut obtutu, qui hæc legerit, totius rei Seriem prout geſta eſt, & varia, quæ hinc inde prodiere Scripta, hanc, quam nonnulli vocarunt Controverſiam, ſpectantia inter celeberrimos Artis Medicæ Profeſſores Marcellum Malpighium, & Jo: Hieronymum Sbaraleam, poſſit cognoſcere; paucis enumeranda mihi ſunt, quæ eorum uterque edidit, vel quæ alii ſive illius Aſſeclæ, ſive iſtius dicantur Adverſarii, promulgavere: neque aliud quicquam hoc loco præſtandum mihi eſſe intelligo, quàm ſingulorum materiem, & tempora, quibus in vulgus emanaverunt, innuere.

II, Anno

II. Anno 1687. Sbaralea Epiſtolam vulgavit hoc titulo: *De Recentiorum Medicorum ſtudio Diſſertatio Epiſtolaris ad Amicum*. Hujus ſcopus erat oſtendere, *Subtiliorem Anatomen, Dendranatomen, & Anatomen comparatam &c. aut parum, aut nihil ſolidiori Medicinæ practicæ inſervire*. Monuit nihilominus, *aliud eſſe Anatomiæ ſtudere, ad peritiſſimam viſcerum ſtructuram cognoſcendam; aliud ad Therapeiæ in ultionem morborum adminiſtrationem, quod ſæpè repetendum* (ſubdidit ille) *ne curioſitas fallat ſpecie utilitatis*. Neque hæc ſtudia, aut tamquam per ſe ſupervacanea, aut tamquam a Philoſophiæ Inſtituto aliena, damnavit. Immo neque eadem in Medico duxit contemnenda, ſi in illo non tam Jatricen, quàm Philoſophiam attendas, vel (ſi modò Jatricen) doctiorem quidem ex illis fieri Medicum putes, non tamen meliorem: quod diſcrimen, cum alibi fuſiùs, tum hìc obiter exponit, dum inquit: *Non proinde hoc ſtudium reprobo, ſed primò dico, neceſſarium eſſe ad complendam hiſtoriam naturæ, quæ ad Clinicum non ſpectat*. Inde, ut verbo dicam, ſtatuendum voluit, ab hujuſmodi ſubtiliori, ac minutiori indagine, aut nullam eſſe, aut exiguam, quæ arti Medicæ accedat, utilitatem: ſecus verò *ab experientia, obſervatione, & analogiſmo, quæ univerſaliter attenduntur in remediorum inventione, & uſu*. Ex quibus palam fit, ſcriptionis ejus ſcopum hunc potiſſimum fuiſſe, ut hoc prodeſſet Conſilio, *ne neceſſaria negli-*

De Recent. Med. Stud. Diſſert. Epiſt. pag. 4. Edit. Neapoli.

Ibi. pag. 6.

Diſſertat. II. pag. 87. prædictæ editionis.

Diſſertatio I. Epiſt. pag. 33. ejuſdem editionis.

Ibi. pag. 46.

Ibi. pag. 48.

negligantur, & ne finis retardetur, in quo ſi Medici deficiunt, incaſſum agunt.

III. Qui prior adversùs iſta inſurgeret, ſtylumque exacueret, fuit Jo: Paulus Ferrarius Medicus, & Philoſophus Parmenſis, cui Sbaralea viſus eſt *Vir volens potius Medicorum animos deberi otioſæ præteritioni, quàm laborioſæ perquiſitioni*, ideoque otii vituperationem prolixè perſecutus eſt in Opuſculo, quod inſcripſit *Zelotypia Veritatis*, quodque ab ipſo Typis editum eſt anno 1690. Nova Inventa, novoſque Inventores laudibus extulit; ſed parcior in Quæſtione diſcutienda eſſe maluit, nec quid recentiorum cogitata, aut inventa tres illas Anatomiæ ſpecies reſpicientia, medicæ Praxi conducerent, ſingillatim oſtendere curavit.

Zelotypia Verit. in Veter. fallac. & Dogm. pag. 5. edit. Parma.

IV. Accuratiùs, & magis ad rem Medicam, idem Argumentum tentaſſe viſus eſt Joannes Bohn, in Lipſiana Univerſitate publicus Lector, Therapeutica quadam Prælectione, quam ſequenti anno 1691. publici Juris fecit: vel certè Sbaraleam ita de hoc Opere ſenſiſſe compertum eſt, cum qui Ferrarii Opuſculum ſine reſponſo permiſerat circumferri, non æquè tulerit, ut ab altero hoc Adverſario indefenſum ſe præſtaret. Præcitatus itaque Bohn, relato Sbaraleę Aſſerto *Dogmatis hujus* (hæc ipſa Doctoris verba ſunt) *periculoſi, ac temerarii examen* ſuſcepit; aſſeruitque, non prætermittenda eſſe hujuſmodi Studia, vel quando nihil exinde nobis

Prælectio. Therapeutica Ioan. Boh. edit. Neopol. pag. 7. & 8.

nobis circa humanorum Viſcerum uſus clariùs eluceret, quàm Antiquis conſtiterit, & vel quando nulla hactenus ex iis præcepta eruta fuiſſent, quæ ad praxin conferrent: *cum quod Deus, & Natura* (ſubdit ille) *nunc huic, vel illi nonnumquam occaſioni, & Scrutatori reſervent, ut prior texturam tantùm, ſeu naturam hujus, vel illius rei, alter demum uſum reperiat*. Hinc ægrè ferens, haud magnam de hac minima Anatomia Spem proventus, utilitatiſque a Sbaralea præſumi, in hæc Verba erupit: *Deſperare, ac diffidere naturæ pronitate durum eſt, nec Chriſtianum; nec Philoſophum decet*; addiditque, Scriptorem hunc, dum animo præſagire ſe indicat modicam utilitatem, modicamque diuturnitatem his ſtudiis (quæ Bononiæ potiſſimùm vigent) *Civitati ſuæ, haud adeo benè precari*. Verùm quod animadverti maximè convenit in hac Bohn Prælectione, illud eſt, quòd is oſtendere aggreditur, qua ratione Medicas Curationes putet ipſe, ab his Recentiorum inventis juvari, atque id ſeptem præcipuè caſibus: qua de re in Operis ſui calce fuſiùs diſputat, his vocibus rem exorſus: *Unum alterumve adhuc illorum addam, quæ proximam magis operam affectibus nonnullis curandis conferre videntur*. Denique Orationi ſuæ finem imponit, hæc Auditoribus ſuis ſpondens: *Impoſterum ubi Praxin publicè profiteri conceditur, Doctrinam Therapeuticam per Anatomica præcepta, atque inventa veterum; æquè, ac moderno-*

Ibi pag. 38.

Ibi pag. 11.

Ibi pag. 39.

Ibi pag. 30.

Ibi pag. 39.

K rum

rum declarare annitar. Eatenus minutiorem Humani Corporis Anatomen ita propugnavit Bohn, ut quaſi Dendranatomes, & Zootomes (quarum altera Plantas, altera Brutorum Viſcera inſpicit, & cum humanis confert) curam, & defenſionem defereret; licèt hanc etiam utramque reipſa Sbaralea Aſſerto ſuo comprehendat: dumque omnes ſimul docet, *Solidiori Medicinæ practicæ, aut parum, aut nihil inſervire*, forſitan intelligendum quadam reſpectiva proportione ſit, nempe, ut *parum*, & *nihil* (quibus vocabulis ùtitur) tribus enumeratis Anatomes gradibus debitè reſpondeant.

V. Non ſiluit ad hæc, ut ajebam, Sbaralea, & quid de Bohn Prælectione ſentiret, primùm ánno 1693. vulgavit. Qua ſecunda Differtatione de Humani tantummodo Corporis ſubtiliori inſpectione, quo ad exiguam ejus utilitatem, dicta refricavit, ratus, cum de duabus reliquis nihil opponi ſibi intelligeret, in iis non eſſe immorandum: propterea hæc ſcripſit: *Anatomiæ Comparatæ, & Plantarum, prædictus Jo: Bohn in ſua Prælectione nibil oppoſuit, ac ſi duas Differtationis partes lubens concederet*. Adniſus itaque ibi eſt ſtatuere, *Doctrinam Auctoris Differtationis, neque temerariam eſſe, neque periculoſam* quo ad ſubtiliorem Anatomen: quam poſitionem, poſitioni prædicti Bohn adverſantem, recenſitis non pareè, tum Antiquiorum, tum Recentiorum Medicorum Auctoritatibus firmat: atque hæc

Differtat. Epiſt. II. Edit. Neapol. pag. 3.

Ibi pag. 55.

hæc Medicorum placita genuinum Sbaraleæ ſenſum non minùs patefaciunt, quàm roborent. Ab his, quæ profert, Theorematis, liceţ hoc dilucidè eruere; non improbandos eſſe Medicos illos, *qui hoc nomine* (locus eſt ex Andernaco) *minima quæque perſcrutantur examinantur, ut Medicinæ Studioſis ea oſtendant; ita tamen ne diutiùs illis immorentur, ſed maturè ad majora contendant*; ſed aſſerit quòd in Anatomicis Studiis, *præter utilia Medico, ac neceſſaria, non pauciora ſanè ſuperſutura ſint, quæ ad Philoſophi tantùm rationes ſpectant, aut ſtudioſi alioqui rerum harum alius alicujus aliqua de cauſſa cujuſque ſua*, quę verba Julii Alexandrini ſunt in notis ad Galenum. Ad horum ſimilitudinem talia aliquoties de ſuo Sbaralea repetit, quòd ſiquidem exiguarum hujuſmodi rerum notitia, *non quidem Medicum aptiorem facit, ſed Medicinæ tantùm profectum reddit*, quodque hæc ſtudia *Medicum quidem faciunt doctiorem, non autem peritiorem*. Quod intellige de Praxi ipſa, nam initio probandum aſſumpſerat, *aut nihil, aut parum ſolidiori Medicinæ practicæ inſervire*; adeòque quòd Studia eadem ad Phyſiologiam (quæ naturam generatim contemplatur) magis conſentaneè pertinent: *Hoc autem Medicus, ut Medicus, univerſaliter non reſpicit, ſed tantùm quatenus morbis, & remediis inſervit*. Hujuſmodi aſſertionibus, Teutonici Scriptoris Sententiæ ex adverſo oppoſitis, illum impugnat, qui minutiorem Anato-

Ib. pag. 13.

Ibi pag. 15.

Ibi pag. 11.

Ibi pag. 87.

Ibi pag. 89.

men inviſam ex una parte Sbaraleæ credidit, ex altera Medicæ Praxi apprimè neceſſariam pronunciavit ſequenti Periodo, in qua hæc duo judicat: *Hæc docet Anatome ſubtilis noſtro Bononienſi, aut Gottingenſi adeo exoſa, talia tamen, quæ* Ibi pag. 37. *Practico vero ſunt maximè neceſſaria*. Tum quo utiliùs poſſint Inveſtigantium ſtudia converti, deinceps edocet Sbaralea: *Multa enim ſunt quæ* Ibi pag. 19. *adhuc latent, & Clinicis per quam neceſſaria, quæ omittuntur loco iſtarum minutiarum*, adeoque circa ſupervacua teri ætatem non debere, *ac ſi quæ* Ibi pag. 76. *ad artem neceſſariò ſpectant, eſſent perfectè cognita* (ut alibi inquit) *& Ars nullo in eſſentialibus indigeret incremento*. Et quoniam cenſet, quòd *partes ſolidæ in morbis paſſivè ſe habent, & ſanguis ille* Ibi pag. 42. *eſt, cæteraque fluida, & fermenta, quæ principaliter morbos cauſant, & quibus reſtitutis ſanitas reſtituitur;* hinc utili illatione concludit, *in Sanguinis Anatome, & cæterorum fluidorum ſemper eſſe elaborandum conſului, & præcipuè Comparata ad* Ibi pag. 45. 46. *cognoſcendam naturam morborum, & remedia detegenda*. Denique in hoc inſiſtens, quòd ſubtiliores quorumdam Viſcerum obſervationes *communiora quidem de iſtis viſceribus everterunt cogitata, ſed non aperuerunt veriorem, quem habuerit in* Ibi pag. 59. *iſtorum fabrica natura, finem*: hoc præcipuè contendit, ut rationes Bohn deſtruat, quibus ut ſuperiùs dictum eſt, *ſine Profectorum modernorum ſentaminibus vix aliquem Medicum veri, & Dogma-* Ibi pag. 128. *tici Practici nomen mereri* exiſtimavit. Poſtremò ra-

mò rationes eaſdem refellere aggrèditur, & quod antedictæ Prælectionis reliquum eſt, ita compellere ſatagit, ut oſtendat ſeptem illis a Germano Medico propoſitis Curationibus, nihil profuiſſe minutiorem Anatomen, neque illam, aut ad eligenda, aut ad propinanda ad hoſce Morbos remedia, facem ullo modo prætuliſſe.

VI. Quoniam verò ſecunda hæc Sbaraleæ Diſſertatio iterum Bononiæ anno ſcilicet 1701. prælo ſubjecta fuit, appoſita Tractatione *de Vivipara generatione, ex Ovo*, adjunctaque Appendice ad Controverſiam hanc ſpectante; non abs re futurum reor, ſi de hoc additamento nonnulla Lectorem edocuero, temporum ordinem aliquantò intervertens, juxta quem quid Malpighius repoſuerit, priùs eſſet recenſendum.

In ea, de qua ſermo eſt, Appendice, primò purgare ſe Sbaralea voluit, penes Auctores Bibliothecæ Anatomicæ, Danielem le Clerc ſcilicet, & Jo: Jacobum Manget, quòd non prout illi arbitrari viderentur, intelligi oporteret Cenſoria quædam effata, quæ adversùs tria multoties memorata Anatomes genera, ipſe protulerat. *Numquam a nobis abſolutè reprehendetur quodvis Studium Anatomicum, ſive minimum, ſive comparatum, ſive phytologicum, neque umquam cogitavimus illud inutile ſimpliciter appellare, uti repetitis vicibus, ſeu millies, & liquidò conſtat in noſtris opuſculis.*

Ad Phyſico-anatomicas Diſſer. at Appēdix pag. 176. Edit. Bon.

VII. Se-

VII. Secundò cum Petro Regio Batavo manum conſeruit, qui Scriptor quadam Anni 1697. Epiſtola Malpighii Doctrinam, tamquam injuria impetitam, voluit tueri. Itaque occaſione accepta, diſertè Sbaralea Sententiam ſuam expoſuit: nolle ſe, ſi quid aſſeruerat, Malpighium potiùs aliumve Scriptorem percellere, ſed in univerſum opiniones improbare eorum, qui nimium tribuunt reſpectu medicæ Praxis tribus præfatis Anatomes ſpeciebus. *Controverſia* (ait) *a nobis propoſita, eſt communis,*
Ibi pag. 180. *& non propria; ſingularem Auctorem non reſpicit, ſed omnes Leptologos, ſine contumeliis, & convitiis, ſed juxta mores, & terminos ſcholarum procedit.* Præterea quaſi Regium coarguens, hæc ſua in Malpighii, & ejus Inventorum commendatio-
Ibi pag. 181. nem voluit verba repetere: *quæque hiſtoriam naturalem maximè illuſtrant*; perinde ac inſinuans, communem eſſe utrique parti ſententiam, ad illuſtrandam in primis naturæ hiſtoriam hæc Studia conducere. Verùm, cum a Malpighio excogitata vim demonſtrationum, ut vocant, rem infallibiliter oſtendentium, Regio obtinere viderentur; monuit, ea ſaltem univerſa pluribus egregiis Viris hoc loco non fuiſſe, ideòque ſcripſit: *Antagoniſta cognovit, & legit, multos Auctores ſua documenta reprobaviſſe, & in relatione*
Ibi pag. 187. *propriæ vitæ meminit Entii, Swamerdamii, Williſii, Borelli, Diomerbroekii, Kerkringii, Bonanni, & aliorum, quorum objectionibus, poſthumo ſuo opere, ſatisfacere conatus eſt.* VIII.

VIII. Poſtremò cum Antonio Franciſco Bertino Florentino rem egit. Hic lucubratione quadam ſua, quam inſcripſit *La Medicina difeſa*, cum mentio ibi incidiſſet Scripti pridem ſub Malpighii nomine editi, quo plura adversùs præfatam Diſſertationem Epiſtolarem reponerentur, negaverat *eſſe locum reſponſioni*. Cui Sbaralea, ſe jam quid in contrarium reponeret adornaſſe affirmavit, & brevi fore, in lucem ut proferretur: non enim ipſi Sbaraleæ videbatur tam validis rationibus niti, ut cenſebat Bertinus, vel Malpighii Reſponſum, vel Univerſum ejus Opus Poſthumum, immo nec ita videri defuncti Auctoris Amicis credebat, qui *nec aliud effugium ad eum tuendum cogitare potuerunt, quod ſæpe repetunt, niſi iſtud, ſcilicet Reſponſionem Sylveſtribus alienæ manus mixturis fuiſſe deturpatam*. Ibi pag. 196. Ibi pag. 197.

IX. Jam verò ad ſeriem temporum aliquantò perturbatam regrediens, commemorare nequeo obitum Marcelli Malpighii, qui anno 1694. ſub finem Octobris fato functus eſt Romæ, quò ille, ut Innocentio XII. Pont. Max. Medicus eſſet, accitus fuerat; quin totius Literariæ Reipublicæ luctum, ac jacturam in hoc homine factam ſimul repetam. Inter reliqua ab eo ſcripta unum etiam, jam memoratum, Italico idiomate repertum eſt hoc titulo: *Riſpoſta alla Diſſertazione dello Sbaraglia de Recentiorum Medicorum ſtudio*. Hoc cum cæteris ejus Poſthumis Operibus, Londini primùm vulgatum eſt

(ſed

\# Quæ de Bertini verbis præfato in Opusculo recensitis profert hic Author, veritati omnino non conveniunt. [illegible] pag. 96 videre est) [illegible] non esse [illegible] [illegible]

(ſed non ſine ſuſpicione quòd multa inibi immutata, multa adſuta fuerint) ſumptibus Regiæ Societatis Anglicæ, in quam Malpighius fuerat cooptatus. Initium Libro facit, dolens multas in ſe toto vitæ curſu ab infenſis hominibus procellas fuiſſe commotas, quibus poſtremò acceſſerit *una Lettera circolare contro li miei Studj*, ratus Sbaraleæ ictibus ſe unicè ſignari deſtinarique, quod multoties obtrudit, ac præcipuè, ubi circa plantarum Anatomen ſentiens, de ſuo (quod ajunt) corio ludi; hoc dicto conqueritur: *la feſta è fatta per me*. Itaque contendit ibi propria ſtudia, circa Dendranatomen, Zootomen, & minutam Corporis humani Anatomen propugnare. Et primo, quoad poſteriorem hanc, tuetur, quamquam vera quarumdam partium munera, hujus ope, hactenus non patuerint; non exiguum tamen operæ pretium fuiſſe, Antiquiorum errores circa earumdem partium miniſteria, deprehendere: *Non è poco vantaggio il diſingannare gli Uomini anche dotti con evidenza irrefragabile, come hanno fatto li moderni in queſte due Parti*. Immo neque verè aſſeri, monet, nullius humanæ partis uſum officiumque Priſcis, vel irrepertum, vel aliter ac reipſa ſit creditum, noviſſimè detectum eſſe, adeoque ſic loquitur: *Che gli uſi aſſignati alle ſudette parti in queſto Secolo ſiano gl' iſteſſi degli antichi con le loro circoſtanze, e modi, è falſità, la quale con il fatto ſi può chiarire anche dagl' idioti, ſe conſideraranno le infra-*

Opera Poſthuma Marcel. Malpi. Londin. 1697. p. 99.

Ibi pag. 163.

Ibi pag. 133.

Ibi pag. 129.

infraſcritte poſizioni degli antichi, e de' moderni. Atque hîc commodùm plures Recentiorum Poſitiones, Antiquiorum doctrinis adverſantes recenſet, ad hoc ut Artem Medicam, ultima hac ætate auctam, atque illuſtratam eſſe, confirmet. Præterea, ut Neotericos eorum curioſioribus inveſtigationibus non tempus triviſſe oſtendat, hæc affert: *tutto il Mondo litterato confeſſa, che nel preſente Secolo ſi ſono dilucidati, e ritrovati gli Infraſcritti Inventi.* quibus ſtatim Catalogum attexit, quo exactè ea recenſet, quibus hujus ſæculi Anatome eſt ditata. At quo ad reliqua duo Anatomiæ genera, ac ad illorum in medendi uſu utilitatem, ſtatuit, tamquam firmum, & ab omni dubitatione remotum: *che le coſe della natura ſono come una catena collegate inſieme, e non ſi può muovere una ſenza il movimento dell'altra parte; e però non ſolo per la notizia particolare d'ogni genere de' viventi, ma per illuſtrare l'una coll'altra, abbracciarono la Notomia de Bruti, degl'Inſetti, e delle Piante ſteſſe.* Tum de Zootomia ſic diſſerit, quòd quamquam motus, & eorum inſtrumenta *in tutti gli ordini de' Viventi non ſono interamente ſimili, ſi riducono però con analogia alla ſteſſa Mecanica, e bene ſpeſſo la varietà dell'organo moſtra con maggior chiarezza l'uſo, che in noi, o in altri, è più oſcuro: quindi è che la Zootomia è utile anche alla Medicina.* Et de Dendranatomia innuit, quo pacto, dum ope poſtremarum obſervationum innotuerit, quòd & in

Ibi pag. 135. *Ibi pag. 149.* *Ibi pag. 150.*

Plantis ſuccus, quodam veluti circulari motu agatur, *conoſciamo, che la corteccia contiene gran* Ibi pag. 168. *quantità di ſugo, e la radice molto più, e conſeguentemente queſte parti hanno maggior uſo, ed energia dell' altre, e perchè è manifeſto per l' oſſervatione da me fatta, che non in tutti li tempi ſuccede l' augmento nelle piante, come nell' Inverno, nell' Autunno, ma nella Primavera, e nell' Eſtate ..... neceſſariamente ne ſiegue, che li ſughi delle Piante eſpreſſi, e raccolti ne' ſudetti tempi ſiano più efficaci, e copioſi.* Immo, contra quàm Sbaralea putat, Medicum adeo decent Anatomicæ plantarum inſpectiones, ut ii, qui Philoſophi unicè ſunt (ejuſdem Malpighii judicio) ut plurimùm ea ſtudia exiguo ſucceſſu tentent: *Ne vale* (ſic ille) *che ſia faccenda da Filoſofo, poichè io ſon certo per prattica, che alcuni Filoſofi ſi ſon meſſi all' impreſa delle oſſervazioni anatomiche, come dell' ovo incubato, e delle Piante, e non gli è riuſcito coſa di momento.* Atque horum Philoſophorum nomina paulo poſt ſuggerit, Geminianum videlicet Montanarium, atque Ovidium Montalbanum.

X. Summam hujus Reſponſionis, quæ ſub Malpighii nomine prodiit, volui paucis exponere; nam deinceps de illa non ſemel mentio erit, ubi Inſtituti noſtri ratio nonnulla ad illam ſpectantia coget nos animadvertere. Sed brevius adhuc erit quod dicam de poſtremo Sbaraleæ Opere, quo memoratam Reſponſionem excepit, aliaſque Malpighii Opiniones rejicere aggreſ-

aggreſſus eſt: cujus operis tantummodo titulum, ſeu potius eorum, quæ unico volumine complexus eſt, titulos indicabo. Ii ſunt: *Oculorum, & Mentis vigiliæ ad diſtinguendum ſtudium anatomicum, & ad praxim medicam dirigendam. Accedit Mantiſſa ſubſidiaria de vi indicationis a parte, & de Uſu Microſcopii*, quod volumen Bononiæ anno 1704. Typis commiſſum eſt.

XI. Tituli pariter Libri illius, qui ſub finem anni 1705. emiſſus eſt, tantùm meminero. Is eſt hujuſmodi: *Horatii de Florianis M.E.P. Epiſtola, qua plus centum, & quinquaginta errores oſtenduntur in recenti Libro inſcripto: Oculorum, & Mentis Vigiliæ &c. nec non inclyti viri Philoſophi, Medici, & Anatomicorum noſtræ ætatis facilè Principis Marcelli Malpighii innumera loca propugnantur, & exponuntur &c. huic præfixa eſt, quaſi vice præfationis, altera Epiſtola in illud idem argumentum a Luca Terranova M. S.* Si autem aliquanto fuſior fui in hoc argumento, quædam attingens de Controverſiis Sbaraleam inter ex una, & Bohn, Regium, Bertinum ex altera parte; id præſtandum mihi eſſe ratus ſum, ne ei, qui hæc legerit, brevis de hiſce literariis Diſputationibus narratio deſideraretur; cum cæteroqui ulteriùs nos iſtis immorari non deceat: nam has nullo pacto Morales noſtræ obſervationes reſpiciunt, ſed modum tantummodo diſputandi, quo uſi ſunt Sbaralea, & Malpighius, ac deinceps Lucas Terranova, & Hora-

tius de Florianis, quorum alter ſe Malpighii Diſcipulum, alter Cultorem tantùm profitetur. Igitur reliquorum Capitum labor erit, ut quæ ſcripta in hoc compendiariò perſtrinximus, eadem ibi ad Ethicæ Trutinam revocemus, perpenſa priùs Epiſtolica Diſſertatione Sbaraleæ, qua criticè Malpighium provocaſſe videri poſſit, deinde ejuſdem Malpighii Reſponſione, quæ operibus ejus poſthumis inſerta circumfertur. Poſtmodum perquirendum veniet, uter, & quis prior Criticæ fines ſit prætergreſſus, eoſque, quos optimus quiſque Magiſter tradit, canones Morum. Tamdem collato utroque Volumine, tum quod Sbaralea inſcribit: *Oculorum & Mentis vigiliæ*, tum quod Lucæ, & Horatii Epiſtolas complectitur, judicium erit, quatenus, & a quibus adversùs eaſdem regulas peccetur. Liberè, ſed urbanè, negotium tranſigetur, & ſicuti non niſi aliena auctoritate, impoſterum etiam, niti decerno; ita in diſputationis veſtibulo hoc Euripidis dictum, quo dicendis præludam, uſurpabo:

Euripid. in Helen.

Non eſt meus ſermo, ſed Sapientum.

CAP. IX.

CAP. IX.

Moralis Diſquiſitio primæ Diſſertationis Sbaraleæ, & Reſponſionis Malpighii.

I. NEmini dubium eſt, quin Sbaralea, dum prædictam Controverſiam excitat, qua ipſe contendit, parum aut nihil ſolidiori Medicinæ Practicæ inſervire ſubtiliorem Anatomen, Dendranatomen, & Anatomen comparatam, primus ſit, qui provocet cenſoria nota. Quamvis autem ſatis hoc pateat, duo tamen adhuc ſuperſunt diſcutienda; primum videlicet, an ſicuti in præfata Controverſia Provocans utique criticus eſt Sbaralea, ita ipſe dicendus ſit præcisè Malpighium petiiſſe; alterum verò, an provocando injuriam intulerit: quæ quidem ſedulò expendenda ſunt, ſic enim patebit, num ſimul, & ſemel & Injurioſus, & Criticus Provocans Sbaralea ſit Vidimus nimirum, duo hæc licet valde diverſa, jungi in uno eodemque aliquando poſſe; interdum etiam Controverſiæ progreſſu uni, vel alteri Contendentium, competere.

II. Priori ſua Diſſertatione Sbaralea nullibi Malpighium nominat: quapropter, ſi de materia injurioſa ageretur, Fauſti doctrina hìc locum haberet, qui licet fidentiùs ac reliqui Scriptores perſuadere nitatur, ut in quovis tamdem *Fauſt. Duell. lib. 3. Cap. 4. & 5.*

caſu provocanti reſpondeas; ſemper tamen conditionem intelligit, ſi quì intulit contumeliam, nomen ſuum expreſſerit. Tametſi verò Malpighii nomen perſpicuè non appareret in Diſſertatione ſuperiùs dicta; exiſtimavit nihilominus idem met Malpighius, adeſſe ejuſmodi indicia, quæ totum illud adversùs ſemetipſum ingeri, ſatis evincerent, atque oſtenderent: propterea ab initio ſtatim ſuæ Reſponſionis hæc habuit. *Avendo in animo di levarmi il credito di Medico pratico, e di avvilire li miei ſtudii, in vece d'intitolare la Lettera: De ſtudio Marcelli Malpighii; ha colorito la ſua bona volontà, facendo univerſale il Titolo: de recentiorum Medicorum ſtudio.* Verum quidem eſt, cum plures præter Malpighium (ut ſuperiori Capite relatum eſt) commoverit Cenſura Sbaraleæ, quos opinionis ipſorum propriæ tuendæ ſtudium fortaſſe magis, quam propugnandæ alienæ, cura excitavit, ex eo deduci poſſe, hujuſmodi literariam querelam non reſpexiſſe unicè ad ipſum ſolum. Conſtat pariter, plurimos Recentiorum ſubtilioris Anatomiæ ſtudio applicuiſſe ſe, plurimos Comparatæ; nec unicum fuiſſe Malpighium, qui Anatomiam plantarum excoluerit, quod & ipſe in ſua Reſponſione aliquo modo fatetur, dum ait: *Circa l'Anatomia delle Piante due Medici ſoli vi hanno travagliato il Sig. Grevv, & io.* Inferiùs verò ſubdit, alios quoque huic ſtudio navaſſe operam, ſucceſſu licet omnino tenui; ex eo quia fortaſ-

Op. Poſthum. p. 102. edit. Londin. An. 1697.

Ibi pag. 107.

fortaſſe artem Medicam non ſatis calluerint: *Il Sig. Ovidio Montalbani medeſimo, Amico dell' Autore della Lettera, e Filoſofo, che ha ſtampato tante coſe anche naturali, facendo la Notomia delle Piante ..... pone tante fanciullaggini, che è vergogna il ridirle*: alibi etiam: *Queſto non è detto per me, ma per il Sig. Montalbani ..... Lo ſteſſo proporzionalmente ſarà detto per il Mizaldi, che nelle Piante ſtatuiſſe li piedi, il corpo, le braccia, le coſcie, le mani, le deta &c.* *Ibi pag. 161.* *Ibi pag. 165.*

Denique & hoc ipſum patet, indicia nempe, quibus ſe ſolum a Sbaralea peti, colligere Malpighius conatur, non parum ab eo ipſo infirmari, dum memorat, veteres quoque utriuſque illius Anatomiæ ſtudium eſſe complexos, ut propterea inconſequenter ſupponere viſus ſit, ſemetipſum ſignatè redargui, & quaſi indicari: *La Zootomia anch' eſſa fu praticata da' Medici Antichi, e Galeno ſteſſo che fu ſi gran pratico ..... Queſto medeſimo ſtudio nel Secolo paſſato fu praticato dallo Spigelio, dal Caſſeno, dall' Aquapendente, dal Coiter &c.* In quo adeo inſiſtit, ut ex eo inferat: *che il titolo del Libro ſi dovria mutare, dicendo: De antiquorum, & recentiorum Medicorum ſtudio*. Non hìc mihi mens eſt, ut duo hæc, quæ ſibi mutuo adverſari videntur, quaſi ex profeſſo deſignem; alterum nempe, quod eſt conſilium præbere, ut generaliori, quique tam Veteres, quàm Recentiores reſpiciat titulo, Liber inſcribatur; alterum verò, quod eſt ſuſ- *Ibi pag. 103.* *Ibi pag. 101, 103.*

picari

picari, uni ferè ſibi Sbaraleam objeciſſe.

Id tantùm noto, quòd plurimorum Sapientum Scriptorum eſt docentium, ubi in plures generatim nota quæpiam dedecoris edicitur, hanc ad eum rectiùs referri oportere, qui rei prædicto modo notatur Auctor, iſque primus fuerit. Propterea ſi primus omnium Galenus extiterit, qui ſtudiis hiſce vacaverit, quibus Sbaralea objicit, atque adeo ſi Galenus ipſe primus cenſendus ſit, qui ab eodem impugnetur, jam neque Malpighium, neque alios quoſvis Recentiores hanc arenam ingredi decebit, niſi fortè eam agere velint perſonam, qua vicariam pugnandi operam pro eodem Galeno exercere videantur. Neque verò prætereundum hoc etiam eſt, videlicet, ſi quid de re aliqua generaliter dici audias, quo nulla licet tui nominis mentione facta, tangi tamen te putes, rectam omnino hanc eſſe regulam, quam ſerves, ut nimirum velut ſub conditione tantùm reſpondeas, aut loquentem de ſua prius intentione interroges. Demum quoties accuſatio aliqua, generalibus quibuſdam loquendi concepta formulis, refertur ad plures, non eſt integrum uni, ut pro cunctis reſpondeat, quando ab omnibus de hoc ipſo facta copia non eſt, quæ haud facilè a pluribus fieri ſolet, inter quos aut Nationis, aut Cauſſæ aliqua ſit communio. Hæc tamen omnia omittere præſtat. Uni Malpighio, tamquam inter eos præcipuo, qui ſtudiis

Mutius Reſp. 6. lib. 2. Attendol. lib. 7 cap 6. Birag Conſ. 22. lib. 1.

Birag. Conſ. 9. lib. 1.

Cam. Bald. Ment. Cap. 12. I. B. Poſſev de Hon. lib. 5.

diis hiſce nuperiùs operam dedere, licuerit, vel inexplorato cæterorum mandato, communem cauſſam ſuſcipere defendendam. Demus itaque Jus in illo extitiſſe, ut negotium hoc, veluti proprium, tueretur adversùs Sbaraleam: quod eo libentiùs concedi poteſt; quia Auctoritates, quas hîc attulimus, in caſu tantùm inferendi injurias procedunt, non in caſu Criticam exercendi, de quo nunc agimus, cum re vera, antequam reſpondiſſet Malpighius, nondum cenſuræ limites prætergreſſa lis eſſet.

III. Eo devenimus jam, ut alterum ex duobus propoſitis expediamus, ſcilicet an Provocans ſolummodo Criticus, an ſimul & ſemel dicendus Provocans quoque Injurioſus, Sbaralea ſit. Cur autem injurioſi nomine jure notari ipſe poſſit, profectò non video, dum lego, & dum qua maxima diligentia poſſum expendo, ſeu poſteriorem, ſeu primam Diſſertationem, quæ Reſponſioni Malpighii occaſionem præbuit.

Nullatenus impoſterum refert, ut adnotemus, in priori Diſſertatione non nominari Malpighium, niſi quatenus per hoc indicatur, intentionem Cenſoris dirigi contra opinionem, non contra Perſonam, & conſequenter eſſe ab injuria remotam, quod ex documento præcitati Abbatis de *Villiers* collegimus Cap. VI. §. 2. Hoc verò ex eo etiam meliùs infertur, quòd in Appendice ad Diſſertationes ſuas Sbaralea,

(eſto poſt latam Reſponſionem Malpighii) expreſsè ſubdit, videlicet, controverſiam a ſemetipſo agitari cœptam nemini prorſus corripiendo directam eſſe: quæ Proteſtatio, prout jacet, a nobis in §. 5. præcedentis Octavi Capitis relata fuit.

Præ omnibus autem animadvertere præſtat in toto tenore prioris Diſſertationis, quam Criticam Provocationem eſſe conceſſimus, ne minimum quidem inveniri poſſe, quod morales honeſtæ Cenſuræ limites perrumpat. Agitur ibi de re ſcientifica, nec præter ipſam digreſſio ulla fit, per quam iis, qui Medicorum praxi prædictas Anatomias utiles cenſuerunt, quidquam vel leviſſimum objiciatur, quod eorumdem animis, aut voluntatibus vitio vertendum ſit. Immo verò uni tantùm intellectui adſcribendum errorem eorum, qui illis pluſquam Medicum decet adlaborent, non niſi graviter, ac modeſtè carpit, ab omnibus verborum aculeis paſſim ſe continens, quæ vel leviter moleſta eſſe poſſunt: quin etiam, ſi quæ hujuſmodi deprehendit apud eos, quos interdum allegat, idem met moderatur. Quapropter citans pro ſe Gavaſſetum, quoniam iſte minutis muſculorum opponens ſectionibus, hæc habet: *Tanta eſt nonnullorum curioſitas, ne dicam, ſtultitia*, hæc omninò verba præmittit ille: *idem argumentum* Differt. Epiſ. Prima pag. 6. *ſequentibus verbis nimium liberis inſectatur*. Quibus verbis cùm in Gavaſſeto nimiam loquendi

licen-

licentiam improbet eodem tempore, quo ejus ſententiam atque doctrinam laudat, ſatis non ſolùm prodit, quàm alienus ipſe ſit ab adſcribenda illis ſtultitia, qui diverſis a ſua opinionibus favent; ſed etiam ſibi unicè propoſitum fuiſſe eam in illis minime probroſam ignorantiam detegere, quam inter ſe de rebus ſcientificis diſceptantes alter alteri objicere licite poſſunt, ac ſolent. Nec prætermittendum eſt, alibi hæc eadem ſtudia Anatomicà ab ipſomet Sbaralea vocari *labores Virorum Clariſſimorum*. Per hæc autem illorum cultores expreſsè commendat; quam quidem laudem non uno in loco prioris Diſſertationis adhibuerat ſtudiis hujuſmodi, quandoquidem compleri per illa cenſet, quod de Hiſtoria naturali ſciendum præterea eſt, & rurſus Philoſophiæ incremento conferre, atque in hac declaratione adeo inſiſtit, ut ne quidem in ſua Reſponſione id diſſimulet Malpighius inquiens: *Lodato Dio. Finalmente il noſtro Autore uſa un tratto di corteſia con queſta Notomia, e con li ſuoi Profeſſori, confeſſando, che non diſapprova queſto ſtudio neceſſario per compire l'Iſtoria della natura.* Ibi pag. 18. Op. Poſthum. p. 154.

Porro, ſicuti in prima illa Diſſertatione eas leges ſervari ſatis perſpicuum eſt, quæ ſpectant ad ſubjectum Criticæ; eas pariter, quæ finem Critici dirigunt, optimè impleri conſtat ex iis, quæ mox ſequuntur. Cum dixiſſet antea ille, futurum ut proceſſu temporis pateat, quæ-

nam e duabus opinionibus magis ſubſiſtat: poſt modum ſubdit: *Idem docebit, quis ſincerus fuerit, quis ad dicendum fiducia plenus, nihil adulatorium, nihil ſervile, ſed veritatem in omnibus ſecutus.* Quam quidem intentionem dum aperit, ingenuum ſane ſe ipſum præbet, quem ſtudium inquirendæ veritatis trahat. Nec ulla quidem conjectura ſuppetit, unde aliud quidpiam poſſit inferri. Ut enim Capite V. §.4. ſancitum eſt, potiſſimum, & hucuſque evidens diſcrimen, quod modeſtam rectamque Cenſuram ſecernit ab improba, in eo demum conſiſtit, ut nullatenus ad perſonarum, ſi quæ ſunt, vitia divaricantes tranſgrediamur argumenti ſcientifici fines: ex quo ſane, quod in ipſo Sbaralea patet, magis etiam liquet ejus intentio, quæ licet occulta, ac abdita ſit, hujuſmodi tamen indiciis æqua cenſeri debet, ita ut non niſi temerè præſumatur oppoſitum.

Diſſert. Epiſt. 1. pag. 51.

IV. Poſtquam igitur exactè perpendimus hanc Sbaraleæ Scripturam, non ſatis deinde apparet, undenam Malpighius eam annumeret iis, quas ipſe vocat *Diſcorſi contro le coſe mie, ch'erano pure Satire*. Quantumvis ſtudiis naturalis Philoſophię occuparetur ille, partem hanc Moralis ignorare non potuit, qua ſatis apertum diſcrimen Satyram inter, atque Cenſuram conſtituitur, & illarum ſubjecta diſtinguuntur. Multò magis adhuc abs re eſſe videtur, quòd initio Reſponſionis ſuæ tamquam calumnioſum

Op. Poſthum. p. 99.

ſum redarguat Titulum Diſſertationis Sbaraleæ: *il titolo non comprendendo tutta la Sfera dell' occupazione de i Medici Moderni, ſarà diminuito, e non proprio, anzi falſo, e calunnioſo.* Epitheta illa *diminuito, non proprio,* immo etiam *falſo,* Scripturæ cujuſvis titulo adjecta, ſive cuiquam Adverſarii Sententiæ de re ſcientifica, Critica omnino non rejicit. Secus epithetum *calunnioſo*: per hoc enim impingitur crimen voluntati alterius, virtuteſque ejuſdem morales petuntur: adeo ut citra culpam proferri nequeat; niſi fortè ad repellendam injuriam antea illatam, in promptu ſit. Neque opus erat Malpighio aliam notam inurere eidem Titulo præterquam diminuti,& minimè proprii, ut ſcilicet indicaret, ab ipſo non comprehendi omnia Neotericorum ſtudia, ſiquidem non tribus tantùm Anatomiis, verùm aliis etiam intenta. Adhuc tamen ab hac item nota redimi facilè expiarique poſſet; ſiquidem verum ſit recentiores, ſin minùs unicè, præcipuè tamen in hæc ſtudia conſenſiſſe. At quoniam inſtituti noſtri non eſt hujuſmodi diſquiſitio, nec locus ipſi in præſens ſufficitur; opportunum potiùs illud erit, ut probabili cum ratione conjiciam, præfatum vocabulum & ipſum ex iis eſſe, quæ nonnullorum operâ Malpighii ſcriptis adjecta ſunt. Mecum forſan ipſi quoque arbitrabuntur veriores defuncti Auctoris Amici, hunc unum eſſe ex iis locis, cui imprudenter admodum injeciſſe manus aliquos ejus

Ibi pag. 101.

incau-

incautos Aſſeclas, credi poſſit, perperam opinantes, iſtiuſmodi loquendi formulis nonnihil virium ſcriptis ejuſdem additum iri; quod tantum abeſt, ut plurimum etiam inde ſuſtulerint gravitatis, atque momenti, quod in aliis paſſim ejuſdem admirandis Operibus cernitur. Hæc autem pia uſque ſuſpicio, vel ut veriùs loquar, judicium, aliis etiam in Locis ſubinde notandis congruit. Sequenti item Capite reliquum erit, ut fuſiùs adhuc hac conjectura, judiciove hoc eodem utar. Certe Malpighio tribuere non auſim verba illa, quibus miratur, ſine ulla cenſura Opera alia a Sbaralea præteriri, quæ magis etiam diſtant a praxi medica, quàm tres memoratæ Anatomiæ, & quibus nihilominus edendis medicinæ Profeſſores ipſi ſe applicuerunt; *i quali per la Dio grazia non hanno incontrato quella calunnia, che cerca dare alle tre accennate Anatomie*. Sanè quandocumque Cenſuræ nomen Calumniæ imponimus, duo inter ſe valde diſſita ſimul confundimus, incautiùs agentes, quàm ſi illam cum Satyra miſceamus: quod ſuperiùs a Malpighio ipſo factum videtur. Quid porro Cenſura ſit, abundè per nos conſtitutum fuit. Calumniam ſic explicat Divus Thomas: *eſt criminis impoſitio falſa, & malitioſa*. Quòd deinde ſui nominis, ac famæ periculum faciat ille, qui eo uſque progreditur, ut alteri calumniam opponat, nulla ſuadente neceſſitate injuriam a ſe removendi, tum palam fiet, cum & ſimilia

Ibi pag. 102.

D. Thom. 2. 2. Quæſt. 68. Artic. 3.

quæ-

quædam, & multò item aſperiora dicta expendemus; quibus poſtremò Horatius de Florianis, ac Lucas Terranovà uſi ſunt. Tunc, inquam, conſtabit, eoque etiam liberiùs, quo minùs venerationis adhibendum eſt iis, qui nondum ſatis innotuerunt, quàm debeatur claro Marcelli Malpighii nomini. Itaque in dubium vocari nequit, in allatis verbis inferendis, incautum quempiam ingeſſiſſe ſe; niſi expreſſam contradictionem inter aſſerta ejuſdem Malpighii admittere velimus. Non enim ſimul hæc duo conſtarent: Cenſuram Calumniæ nomine vocari citato in loco; poſtmodum verò Philoſophandi libertatem probari in ſequenti: ea quippe libertas, ſi quando ab animo migravit in voces, ab ipſamet Cenſura diſcerni nequaquam poteſt. Affert Malpighius diſcrimen anteacta inter, ac noſtra tempora, inquiens: *Tutto il ſapere conſiſteva nel repetere ed interpretare la Dottrina d'Ariſtotile, d'Ippocrate, e di Galeno..... ma ne' correnti tempi, dove ſi ſono ſcoperti errori ne' predetti Autori, e coſe evidenti da loro non conoſciute, anzi oppoſte alle loro Dottrine* (deinde paulò inferiùs ſubdit) *ſi gode, e ſi pratica una intiera libertà di filoſofare*. Admiſſa itaque (quæ non modo admitti, verùm & commendari neceſſariò debet) libera iſta facultate contra quemlibet, qui antea ſcripſerit, opinandi: non ſatis deinde liquet, cur eadem ab uno in uſum ducta, indigno Calumniæ nomine notari debeat; ab altero verò,

Op. Poſthum. p. 120.

honeſta

honeſta philoſophandi libertas dici. Porrò ille in hæc adeo repugnantia conſentire non potuit, uti neque ſibi ſuadere vel Ariſtoteli, vel Hippocrati, vel Galeno calumniam inferri a Recentioribus, dum illorum dogmata ab iſtis impugnantur, & dum nova & oppoſita contrariis rationibus firmantur. Non refert autem ſi dicas, calumniæ nomen non aptari contradictioni, quam juſtè paſſæ ſunt antiquorum doctrinæ, in quibus deprehenditur manifeſtus error; ſecus verò improbari a Sbaralea ea ſtudia, quæ erroris convinci nequeunt, ideoque objectiones ejus naturam calumniæ induere. Hoc, inquam, nihil omnino conducit ad rem, tametſi hujuſmodi diſcrimen adeſſe concederetur Antiquorum inter doctrinas, ac Recentiorum. Duabus ex rationibus hoc patet: prima eſt, quoniam contradictio fieri calumnioſa ſolummodo poteſt, cum in re morali, non autem in doctrinali, ſeu opinativa verſatur: ſecunda verò, & potiſſima eſt, quia non ſufficit ad calumniandum, quòd erronea, inepta, & omnino falſa ſit contradictio; ſed in Contradicente requiritur malitia, ſcilicet, quòd ſuæ contradictionis falſitas dignoſcatur ab ipſo, & nihilominus ejuſdem conſcius, veritati adverſetur; itaut contradictio a perverſitate voluntatis, non ab errore intellectus, proveniat.

Quæcumque denique ſapienti Viro, & legum Criticæ gnaro minimè congruentia, in

Poſthu-

Poſthuma Reſponſione lego, me in ſuſpicionem adducunt, non eſſe Malpighii. Idcirco ſub hac juſta ſuſpicione veniunt, quæ adversùs Sbaraleam dicuntur, eo quia cenſuit, nihil prorſus Medicorum praxi utilitatis allatum iſtiuſmodi recentioribus ſtudiis: *ch' eſſo accecato dalla paſſione non vede ciò, che tanti Stranieri diſappaſſionati conoſcono, confeſſano, e lodano*: alibi verò: *che poi dopo lo ſcoprimento della ſtruttura di dette parti la verità ſtia ſepolta nello ſteſſo modo di prima, è ignoranza, o invidia l'aſſerirlo*. Licet autem aliqua demum ignorantia tribui adverſario nonnumquam poſſit; numquam tamen invidia poteſt, quin egrediamur ſtatim e Cenſuræ finibus, & culpam in voluntatem inſerendo, mores lædamus. Abeſt iterum a recta quadam ratione loquendi ſenſus ille: *ſe l' Autore della Lettera aveſſe letto l'Opere de' Moderni ponderatamente, e con indifferenza per approfittarſene, e non con animo di ſempre contradire*. Sicuti autem inconſonum hîc videri debuit, animum arguere pertinaciæ, ac voluntatem tamquam omnibus contraire paratam incuſare; ita inferiùs ipſa Adverſarii natura redarguenda non erat, quam pro moralibus habitibus accipit: *Quì pure la natura del noſtro Autore apertamente ſi conoſce, cogliendo la ſpina, e laſciando la Roſa*.

Ibi pag. 119.

Ibi pag. 133.

Ibi pag. 140.

Ibi pag. 155.

Quamvis autem mitigari aliquantulum videantur infraſcripti duo loci, ejuſmodi tamen illi ſunt, ut conditionali ſaltem negatione

tamquam contumelioſi refelli poſſint. Ex hoc autem eruitur, non omnino abeſſe ab injuria. Alter ex iis is eſt, ubi de nuperrimè inventis dicit: *non meritano rimproveri, ſe non da' maligni, & ingrati, fra' quali non vorrei porre il noſtro Autore.* Alter autem ſic ſe habet: *Ho legitima occaſione di maravigliarmi della poca avvertenza, per non dir malizia, del noſtro Autore.* Hæc inquam ratio loquendi ab omni penitus labe ſecreta non eſt, nec ſana uſque adeò: nam etſi interceptiones, quæ ibi adhibentur, *non vorrei porre &c.* & *per non dire &c.* id efficiunt, ut nota pravitatis de Sbaralea directè affirmari non videatur; reſponſum tamen ſatis acre provocant, & contumeliæ, quæ tali arte inferuntur, pari etiam arte referri poſſunt. Qua ratione probat Fauſtus, eum, qui adjiciat *mentiens mihi videris* Ei, qui antea objecerat: *ſocors mihi videris*; Eâdem omnino Ei, qui ingeſſerit: *non vorrei porti fra' maligni*, retrudi poſſet: *io non ti vorrei mentire*. Et iterum ſi quis opponat: *la tua è inavvertenza, per non dir malizia*, facilè reponere poſſet alter: *la tua è bugia, per non dir mentita*.

Ibi pag. 133.

Ibi pag. 166.

Fauſt. lib. 3. cap. 21.

Quæ hucuſque attulimus, tametſi injuriarum materiam ſpectent, ubi ea, quam præ manibus habemus, Critica potiùs eſſe deberet; nimis tamen illa e re noſtra ſunt: manifeſtum quippe eſt, Poſthumam Reſponſionem, quam nunc expendimus, contumeliam magis, quàm Cenſuram referre. Reſponſio igitur poteſt hæc appel-

appellari, in quantum ſolummodo Provocationi Criticæ a Sbaralea factæ reſpondet; ſed veriùs Injurioſa Provocatio eſt dicenda: tum quia Prior Diſſertatio (ut jam patuit) nullatenus Cenſuræ fines exceſſit: tum quia hæc Reſponſio in contumelioſa tranſcurrit quamplurima, vel a defuncto Auctore dictata, vel ab aliquo illius Amico temere ingeſta.

Supereſt alia quæpiam propoſitio directè contra Sbaraleam prolata, in qua prorſus eum carpit, ubi ait *eſſendo egli evidentemente un Cavillatore*: ex eo quia in calce diſſertationis ſuæ illud Senecæ attulerit: *ludit iſtis animus, non proficit ..... nec te prohibuerim aliquando iſta agere, ſed tunc cum voles nihil agere*. Quo uſus eſt ille, ut innueret, ad leviora identidem diſtrahendum Medicæ diſciplinæ profeſſorem, ſi quando, vel ægrotantium cura, vel graviora interdum ſtudia quidquam otii indulſerint; ſicut etiam in Philoſophicis Seneca ipſe permiſerat, interdum ceſſandum a ſeverioribus, ut ad quaſdam quaſi quæſtiunculas demittamus nos, quas ille *cavillationes* vocavit. Verùm Sbaralea, eam pro ſe partem uſurpavit, quæ ſuæ ipſius intentioni magis conducere viſa eſt; idcirco non aſſerit, cavillantium eſſe, ſtudia levioris Anatomiæ, at otiantium potiùs. Itaque non adeo verum eſt, quod ait Malpighius: *che vuole addattare il giudizio di Seneca ſopra li Cavillatori agli Anatomici*. Cavillatoris propterea notam Sba-

Op. Poſthum. p. 187.

Diſſer. Epiſ. 1 p. 51.

Op. Poſthum. p. 187.

ralea minimè recipit,quam Malpighius expreſſit:quique alterum ab altero non ſecrevit,quandocumque Senecæ ſententiam in tota paſſim Epiſtola contentam cum aliqua tantùm, qua Sbaralea uſus eſt,unius periodi parte planè confudit: neque idem prorſus in eadem Senecæ Epiſtola ſonat vox hæc *Cavillatio*, quod ſonat in caſu Diſputationis, & quod ſignanter explicat Valla: *Cavillatio eſt ſubdola ratio, quam conſcii nobis mendacii, vincendi tamen cauſſa, profe*-*rimus*.

Senec. Epiſt. CXI.

Theſau. Henr. c. Steph in Verbo Cavil.

V. Verumtamen duo modi ſuppetere poſſe videntur ad purgationem Malpighii. Primus quidem eſſet dicendo, non a ſe, verùm ab aliis ea eſſe congeſta, quæ diſcretæ Cenſuræ minime convenire viſa ſunt. Eſto quidem ſupponatur hoc, non inde tamen impelli Sbaralea umquam poterit, ut quæ adhibuit jure compenſationis, dura, ac moleſta ipſe retractet; niſi fortè ſe prodat Auctor ille, per quem Malpighio adſuta illa fuerunt: quin etiam hactenus viget eidem Sbaraleæ Jus, par pari ei iterum referendi, cui hæc adſcribuntur. Alter excuſationis modus eſſet dicendo,infixam Malpighii menti opinionem fuiſſe, quòd anteriore Cenſura eum laceſſiſſet Sbaralea, non ſolius tantùm Cenſuræ, verùm & Injuriæ inferendæ animo; & hoc ex pluribus ejus querimoniis conjectari poteſt: Imaginatus eſt ille, contra ſe Oppoſitorem collimaſſe, vel cum Galeni

textum

textum afferret: *Per ferirmi l' Autore della Lettera quì intreccia una proteſta di Galeno*. Si quando verò idem Sbaralea Zootomiam laudat, quam aliquatenus utilem cenſuit; eamdem laudem ſuſpicatus eſt Malpighius infenſam eſſe, ac venenato livore illitam; propterea quòd non omnino completa laus illa ſit, & latiùs non afferatur: *Confeſſa, che la Zotomia è utile per gl'inventi fatti nella ſezione degli Animali vivi, quali non però tutti ammette, e ſtillando alcune gocciole di veleno, aggiunge &c. quamvis nonnulli Anatomici ſine hac limitatione procedant*. Eo uſque progreſſus eſt, ut aſſereret Deo etiam magis injurium Sbaraleam eſſe, qui eam plantarum indaginem, quam inutilem opinatus eſt ad artis Medicæ praxim, cum iis confert vanis Tantali conantis laboribus, & ad confictas arbores fruſtra tendentis manus: *Queſta è una ingiuria fatta a Dio, e non a me* (ita exclamat Malpighius): *è verità cattolica, chè Iddio hà create le Piante con un'artifizio ſovrano, e le hà poſte ſopra la terra, acciochè ſiano anche teſtimonio e prova della ſua ſapienza, ed onnipotenza, onde il cercare la loro compoſizione è un cantare un' Inno a Dio*. Ego quidem arbitror (nec aliter ſentiendum eſt) ita prorſus talem Virum credidiſſe: neque enim decuit ſimulaſſe, nimirum ut ſpeciem Juſtitiæ quamdam querelis ſuis adhiberet. Sed non ideo judicare nos poſſumus, aut debemus, rectam ejuſdem fuiſſe opinionem; niſi aliquid in Sbaraleæ

Op. Poſthum. pag. 155.

Ibi pag. 156.

Ibi pag. 166.

Digitized by Google

leæ Diſſertatione tamdem inveniatur (id vero ipſe invenire non potui) quod injurioſæ Provocationis indolem ſapiat, vel niſi diſtinctionum omnium, quas inter Criticam, & Injuriam attuli, fundamenta penitus evertantur. Nulla ergo remanet excuſatio Auctoris reſponſionis, niſi quæ competit illi, qui *Ingiuſtificato* vocatur a Pigna: illi ſcilicet, qui erroneo animo ſe læſum credens, dum ſui reparationem intendit, alteri infert injuriam. Definitur enim Injuſtificatus, ille, cui, poſtquam contra alterum egit, nulla eſt ratio probandi, ſe rectè egiſſe, & pœna, quam idcirco ſubit, eſt, ut ex Reo fiat Actor. Ex qua Doctrina, ſi caſui, de quo agimus, illa applicetur, id infertur, quòd qui priùs in Ordine Critico Provocatus reuſque fuerat, deinceps Actor, & Provocans in ordine injurioſo eſt factus.

Pigna Duel. lib. 3. cap. 6.

Idem ibi.

CAP. X.

Examen libri, cui titulus: Oculorum, & mentis vigiliæ, cum Epiſtola Terranovæ comparati.

I. Longum nimis foret, integrum Sbaraleæ referre Librum, cui titulus *Oculorum & Mentis vigiliæ &c.* ac nedum longum, verùm etiam inutile itidem foret narrare, quibus ductus rationibus Horatius de Florianis

rianis palam edicat, plus Centum & quinquaginta errores in eodem Opere ſe deprehendiſſe. Inutile inquam, id foret mihi, qui juxta morale propoſitum utriuſque partis a cenſoriis regulis aberrationes tantùm expendere inſtitui; non autem ipſam doctrinalem materiam ingredi. Quoniam verò Horatii Epiſtolæ, quaſi vice Præfationis, altera Lucæ Terranovæ præfixa eſt, quam cuidam Antonino ſcribit utrique Epiſtolarum Auctori amicitia juncto; & quoniam præcipuus Terranovæ ſcopus eſt de genere morali agere, ideo hoc tantùm mihi onus incumbit, ut ejuſdem Epiſtolam nonnihil expendam. Quare totum, quod inſtituam, examen circa eas propoſitiones verſabitur, quas ex recenti Sbaraleæ Libro Terranova collegit; ità tamen ut eas non omnino prætermittam, quæ in priori ejus Diſſertatione, ſeu prima Critica Provocatione continentur. In ea quippe fortè deſperans Horatius, quidquam invenire ſe poſſe, quod a moralibus legibus recederet, præcipuas quoque,& rei noſtræ magis aptas,ejuſdem propoſitiones ſilentio præterire ſatius duxit.

Quamobrem, ut appareat, rectene, an ſecus judicarit; propoſitiones libri, cui titulus *Oculorum, & Mentis vigiliæ* cum præcedentis Scripturæ ſub Malpighii nomine editæ propoſitionibus conferentur: quæ quidem Scriptura, quatenus in primam Sbaraleæ Diſſertationem ſeu Criticam Provocationem prolata, Reſponſionis

ſionis nomen haud immeritò obtinet; verùm quatenus Sbaraleam ipſum acriter laceſſivit, ac ut acria quoque reponeret, coëgit, & nomen & rem habet Injurioſæ Provocationis. Interea tamen ne ea quidem miſſa faciam, in quæ Horatius parciùs quidem, & argumenti critici ſtudioſior, ſed aliquando tamen effertur. Subinde ut plenè veritatis viam, aut quæ eidem magis affinis eſt, ingrediar, aliquot in Sbaraleæ Libro adnotabo propoſitiones, quas Terranova, & ſi ejus obſervatione forſan digniores, incurioſus tamen omiſit. Ita igitur ignoti hujus Scriptoris ductum ſequar, ut poſitis ob legentium oculos ipſius moralibus judiciis, non modò pateat, quibus inter duos præcipuos Scriptores, Malpighium nempe, & Sbaraleam, verùm & quibus adversùs hunc nuperrimè ab Horatio, & Luca actum ſit modis. Ex his autem Lector facilè intelliget, quò tamdem hæc Controverſia devenerit, quibuſque Honoris gradibus jam nunc ſinguli Contendentium fruantur.

II. In decem Puncta totam Epiſtolam dividit Terranova, inter quæ, de iis ſolùm mentio erit, quæ moralem materiam reſpiciunt; quorum Primo examinando totum hoc præſens Caput impendam: id enim mihi ad aliorum Punctorum obſervationem ita viam ſternet, ut duobus proximis Capitibus totam ſimul rem hanc amplecti, totumque conficere opus me poſſe non dubitem.

In pri-

In primo itaque Puncto, ex Antonini Muſæo *clam ſubreptam* ſe habuiſſe alteram Epiſtolam, quam huic *privatè, immo ſecretò* ſcripſerat Horatius, ſeque eam utroque invito in lucem dediſſe fatetur. Hinc metuens ſibi, ne ideo impoſterum *amicorum peſſimum … & mortalium omnium perfidioſiſſimum* (ita Lucas) ii illum vocent, ad quos facti notitia pervenerit, vult Antoninum ſcire, nihil illi profuturum ſi exclamet: *Sed Horatius per neceſſitudinem, & amicitiam noſtram obteſtatus erat, ut occultarem;* ſeque jure Librum & rapuiſſe, & in lucem dediſſe, conatur ille ſuadere. Immo ſe poſſe Antoninum ipſum ita incuſare contendit: *unum igitur ex amicis omnibus præponebas, Sodalem Magiſtro, privatam tuam neceſſitudinem publicæ pietati?* Narratio hæc vera eſſe poteſt, & commentitia, ab Auctore in eum finem excogitata, ut a Fabella ingenioſum duceret ſua Epiſtola exordium. Atque id quidem libentiùs crediderim, utpote ab honeſto minùs abſonum. Verùm ſit hæc, ut juvat credere, fabella: aliam certè meliùs moratam comminiſci poterat, ne dubitatio ſuboriri aliquando poſſet, an Epiſtolam Horatii de Florianis ex Antonini Muſæo *clam ſubripere*, eamque contra certam utriuſque voluntatem in lucem dare, eidem ſatis liceret, his omnibus non obſtantibus concitatioribus potiùs animi affectibus, quam validis argumentis, quæ ipſe in medium producit, ut id juſtè egiſſe ſe probet.

Epiſt. Lucæ Terraæv. N. 1. pag. 1.

Ibi N. 1. pag. 1. & 2.

O Mo-

Morali ſanè diſciplina magis inſtructus videri poterat, ſi nullam ſui, ſuorumque morum ſuſpicionem iis feciſſet, qui diſtrictiùs ſervandæ in depoſitis fidei obligationem expendunt; in iis verò præſertim, a quibus alterius honor aliqua ratione dependeat. Hujuſmodi forſan credi poſſet Scriptura, quam Antonino cuſtodiendam commiſiſſe Horatius ſupponitur: quare damnari Terranova jure poſſet, quod ſuffurando Depoſitum Amico Antonino traditum, ei ſervandæ fidei modum eripuerit, ac ſimul fecerit, ut Amici fides (licèt abſque illius culpa) impoſterum apud homines ſuſpecta eſſe poſſit. Ut hujuſmodi fidem quis licite frangat, ſive ejuſdem frangendæ alteri anſam legitimam præbeat, ſatis eſſe credit Terranova, ſi majus inde bonum ſperetur: additque honeſtiùs ſe egiſſe, Scripturam, Auctore etiam invito, evulgando, quam ſi eamdem religioſè nimis preſſiſſet. Id tamen haud ſat eſſe affirmare non dubito, cum præterea requiratur, ut violando mentem ejus, qui Depoſitum commiſit (quocumque tamdem modo id fiat) grave, certumque ejuſdem malum avertatur: in his enim ſolis caſibus Depoſitum repetenti negare pietatis eſt, ac miſericordiæ; *puta ſi reddatur gladius furioſo*. Qui exactiùs iſthæc in diſputationem vocaret, obtrudere Terranovæ poſſet Legem 39. Longobardis ab Othone præſcriptam, ut ex ea, cui ſe cum Antonino, & cui Antoninum cum

Io. Bapt. Poſſev. de Hon. lib. 2.

I. B. Poſſev. ibi.

Divus Thom Com. Ethic. Ariſt. lib 5. Lect. 16.

Hora-

Horatio, diſcrimini objecerit, ſerus licet, cognoſceret. Poſſet ex Fauſti Doctrina illum commonere *Proditoris* nomen propriam derivationem habere a verbo *Prodere*, quaſi hanc notam inter alios ſceleſtos ille potiſſimùm mereatur, qui ſuæ fidei commiſſa *prodit*. Atque hinc argumentari Lucas ipſe poſſet, eas, quas nimia joci ſecuritate unicè propemodum ſimulat, ſe ab Antonino ſuo ſibi metuere exprobrationes, fortè etiam ab univerſo Literatorum, ac illiteratorum hominum orbe ſeriò ſibimetipſi metuendas fore; poſtquam enim Epiſtolam *privatè, immo ſecretò ſcriptam*, quam ne in publicum prodiret, tanta cura, tanta ſolicitudine, tantaque diligentia Antoninus ſuus operam dedit, clanculum ipſe ſurripuit & Romanis typis commiſit; nihil impedit, quin jure eum vocent *Amicorum peſſimum, & mortalium omnium perfidioſiſſimum*. Verùm ubi de prodendis, invito auctore, libris agitur, e re magis erit finem Eſechii memorare, quem, quòd clam aliquot ſcripta Gamalieli ſubripuerit, eoque reluctante in lucem ediderit, Theodoſius capite plectendum duxit. Ita plane Petrus Ærodius: *quis nedum audeat hiſcere, aut manus ad tabulas apponere, ſi quod nobis, Muſiſque ſoluммodo ſcribimus, canimus, neque ex animi noſtri ſententia plerumque, ſed ſtyli acuendi cauſſa, vel ad id quod ſcimus utile eſſe, diſſuadendum; vel contra, quod inutile, & inhoneſtum perſuadendum: id invitis nobis auferatur, atque in* publi- *Petr. Ærod. Rerum Indicat. Lib. 6. Tit. 5. Cap. 2.*

publicum exeat? Quæ omnia hac regula obſignat Ærodius: *itaque ſi quid illæ Tabulæ famoſi babuerunt, non Gamalielis, qui ſcripſit, ſed Eſecbii, qui protulit, eſſe injuriam.* Hæc tamen comminatio Terranovam haud commovet, qui ejus veluti non ignarus, totum in ſe odium conferre non dubitat, conſtanterque pronunciat: *ego univerſo literarum orbe in teſtem vocato, jam nunc illi bomini edico, atque denuncio, non cum Horatio, borum omnium prorſus ignaro, ſed mecum qui Epiſtolam typis commiſi, & publicam feci, rem iſtam agendam, babendamque eſſe: & nihil aliud ex iſtius Epiſtolæ editione ad Horatium venturum eſſe, quàm gloriam, & Doctorum omnium gratias; in me verò lites omnes, & quidquid in boc negotio moleſti, oneroſi, laborioſi eſt, totum eſſe incubiturum.* Quin fuſiùs ſubdit: *boc autem non ita ſpondeo, quaſi ego quicquid loquaciſſimo iſti bomini placuerit effutire, & ſcriptitare, boc continuò velim refellere, non enim bonas boras, & ſtudia, atque occupationes meas tam parvi facio; ſed ſi bomini ſupervixero, tunc ſimul omnia confutabo; ſin minùs, ex tot amicis, & familiaribus meis, qui certatim omnes id muneris ſibi depoſcunt, aliquem potiſſimum ſeligam ad id præ cęteris inſtructum, cui meas committam vices.*

Idem ibi.

Epiſt. Ter. N. 1. pag. 3.

Ibi pag. 3. & 4.

Quòd ipſe, quidquid impoſterum Sbaralea ſcripſerit, ſe oppugnaturum promittat, & non ſuam modò, ſed & eorum, qui ex ipſius nutu dependent, operam ſpondeat, laudare non auſim. Etenim vel quidquid Sbaralea de

Philo-

Philoſophicis rebus, aut de Medicis ſcribet, oppugnare meditatur; vel convicia (ſi quæ jaciat) retundere. Ad placita doctrinalia quod attinet: quid ſi Vigiliarum Auctor in aliquam cum eo opinionem conſpiret? In Calce Epiſtolæ teſtatur Terranova *multo meliora poſſe ipſum ſcribere, ſi velit, quam antea ſcripſit*. Si quid ergo ſcriberet, ſin melius, quàm antea, melius ſaltem ex Terranovæ opinione; an tum etiam illi, mutata repente ſententia, ſe opponeret? Hoc quidem eſſet Carneadem æmulari ad extollendam, deprimendamque Juſtitiam æquè paratum, qui propterea, poſtquam *pro Juſtitia elegantem, & acutam habuit orationem, Catone priſco, Galba, & aliis pleriſque principibus Viris præſentibus: poſtridie pro Injuſtitia oravit, eiſdem audientibus, diluitque omnia pridiana argumenta, aliaque attulit pro Injuſtitia fortiora*. Sin verò jam nunc ſtatuat, convicia repellere, ſi quæ impoſterum Sbaralea in ipſum contorqueat, ne id quidem ſtatuere ſatis laudandum duxerim: ut quid enim in futurum iram colligere? aut hoſti, fortè numquam naſcituro, interitum occinere? Si quis poſſet, contra futuras injurias ſibi providere, poſſet etiam, cum in eam ætatem venit, quæ bonum a malo ſecernit, illud idem facere, quod Hiſpanum quemdam nobili loco natum, feſtivè admodum, ac lepidè feciſſe narrat Fauſtus. Is enim publico ſcriba ſeu Notario advocato, accitiſque in teſtes viris pluribus ſpecta-

Epiſt. Ter. N. x. pag. 63.

Lod. Vives Com. Civit. Dei D. Augu. lib. 2. cap. 21.

Fauſt. Lib. 2. Cap. 23.

ſpectatæ nobilitatis, ſolemni ſcripto profeſſus eſt, ſe ab illo tempore tamquam viros mendaces, ac nulla fide dignos, eos omnes cenſere, atque inclamare, qui honori ſuo quocumque tamdem modo, præſentes, vel abſentes, clarè aut obſcurè, apertè, aut interpretativè, directè, vel indirectè ſub quolibet verborum colore, aut prætextu, detraherent.

III. Præter hæc, quæ cuique præfatam Epiſtolam legenti obvia ſunt, quæſitum a pleriſque eſt, diuque dubitatum, an ſcilicet nomina, Lucas Terranova, & Horatius de Florianis vera ſint, an ſtudiosè confiċta. Si alicubi Philoſophiam, aut Medicinam intra Italiæ fines excolunt iſti, ac aliqua ſaltem laude profitentur, mirum eſt, quòd eorum hactenus nomina huic Urbi ignota fuerint. Sin autem fictè appoſita illa ſunt, profectò in iis confingendis, receptiſſima uſu regula ſervata non eſt. Qui Operis alicujus Auctor videri renuit, hic aut nullum Operi nomen præficit, aut ficto ſub nomine ita ſe occultat, ut tamen, id ipſum nomen finxiſſe, facilè dignoſci queat. Ita hi ſe gerunt, qui e Græco, ſive alio Idiomate aſſumunt nomina, ſibi quidem propter aliquam aut ſignificationem aut alluſionem plerumque convenientia, ſed tam parum ab hominibus, apud quos ſcribunt, uſitata, ut ſtatim ficta ſe prodant. Profectò ſi in aliqua Europæ Regione, vel fortè etiam Italiæ, idem alicui nomen &

cogno-

cognomen eſſet, jure conqueri hic poſſet, ſibi
tribui, & tamquam ſuum evulgatum fuiſſe Li-
brum,quem numquam viderit, cuique turpiſſi-
mum fortè duceret, mentem, nedum manum
admoviſſe. *Libros ergo eſſe velut Liberos, magni*
Antiſtites duo, Ambroſius, & Syneſius tradide- *P. Theophil.*
runt..... Quod ergo circa Liberos non eſt inaudi- *Raynaud. de mal. ac bon.*
tum, ut aliis Parentibus ſupponantur.... contigit *Libris Par-*
quoque plerumque circa Libros, & fœtus ingenii. *tis.1 Erotem. 10. N. 173.*
Id verò ut plurimum evenit (ut in hac re præ-
citatus Pater Raynaudus) *non ſine injuria Aucto-* *Ibi N. 179.*
rum, quos ementiuntur, eorumque ſtomacho, ſi vi-
verent, aut ſuppoſitionem noſſent: potiſſimùm ve-
rò ſi contumeliis, aut maledictis ſcateant. Hinc
Poetis ipſis, quibus certè, magis quàm Philoſo-
phis, quædam permittitur jocoſa libertas,
Octavianus Auguſtus interdixit, ne Satyras *Sueton. in*
alterius nomine inſcriptas ederent. Vero Auc- *Vita Octav.*
tori de Florianis, vel vero Terranovæ minimè
fortaſſis arriderent nonnullæ Phraſes, non ine-
legantes quidem, ſed plus æquo acuminatæ
audaceſque; immo has tribui ſuis calamis illi
meritò quererentur. Hujuſmodi ſunt Sbara- *Epiſt. Terra.*
leam identidem vocitare *loquaciſſimum hominem:* *N. 1. pag. 4.*
Senem dicaciſſimum: in illum, minantis in mo- *Ibi N. 6. pag. 42.*
dum, nonnulla ingenioſiſſimi Sectani carmina *Ibi N. 1. pag. 4*
recitare, *atque alia longè acerbiora* ultro pollice- *Ibi N. 1. pag. 2.*
ri: Eumdem incuſare, quòd aliqua per *confiden-*
tiſſimam audaciam affirmet, quòd *mendacia into-* *Ibi N. 3. p. 15. & 21. &*
leranda, impudentiſſimaſque calumnias pronun- *N. 4. p. 25.*

ciet:

ciet: in ejus placita ſæpiùs invehi, & exclamare, *quid audacius, quid impudentius?* & tamdem ipſum tertio quoque verbo appellare *detractorem*, & *Senem jam propemodum capularem*. Curam hanc cogendi conviciosas phraſes, quantum pro me eſt, Gaſpari Scioppio reliquiſſem, ille enim innumeras ex veteribus Scriptoribus congeſſit, quod illi proinde miſerabile ſtudium ſic exprobrat Pater Albertus de Albertis: *infamandi artem opinor, non pronuper, aut nudius tertius, Scioppi, ſed jam olim te profeſſum, non exiguæ molis Elenchus tuus, quem Hypobolimæum inſcripſiſti, omnino vincit*. Quamdam etiam periodum prætermitto, quæ minantis ſpeciem præſefert. In hac non dubitat dicere Terranova: *aliquis fortaſſe in reſponſionis partem deſcendet, quem ipſe numquam expectaverit*. Etenim ſi juxta Terranovam neſcit Sbaralea, quid ſibi expectandum ſit; ne ipſe quidem, ut reor, Terranova morem illum loquendi tam Chriſtianum, tam Philoſophicum, honeſtumque expectaſſet, quo continuit ſe ſe Sbaralea, quique illum non leviter angere debet, ut in Calce Diſſertationis hujuſce perſpectum fiet.

Ibi N. 3. pag. 22.
Ibi N. 3. pag. 23.
P. Albert. de Albertis. Lydius Lapis P. 3. Cap. 5. §. 6. N. 2.
Epiſt. Terra. N. 1. p. 4.

IV. Nunc inſtituti a me ſuſcepti ratio id unum poſtulat, ut nimirum expendam, an Malpighii *cineres, & manes injurioſiſſimo hoc, infeſtiſſimoque Vigiliarum libro, Divis, hominibuſque reclamantibus, & deteſtantibus, turbentur*, ut exaggerat Terranova. Iſthæc enim velut certa habere,

Ibi Num. 1. pag. 1.

bere,

bere, ipſumque inſuper Sbaraleam *ſepulcrorum violatoris inhumanitatem* in ſe admiſiſſe conſtanter aſſerere, haudquaquam cum iis conſentit, quæ circa Criticam in ſuperioribus Capitibus ſatis ſolidè a nobis, ut reor, ſtabilita fuere. Inconcuſſum, obfirmatumque (aut ego fallor) manet Axioma, quod capite ſexto §. ultimo attulimus, ſcilicet quidquid honeſtè in viventes licet ſcribere, idem in jam vita functos licere; neque injurioſum Auctori præmortuo id ullo modo evadere poſſe, quod eidem viventi haudquaquam foret. Hortabatur Maximum Plinius, ut conceptum pridem contra Plantam librum, eo licèt morte prærepto, publico permitteret, atque nullam hinc ſibi dedecoris notam metuendam fore affirmabat: *ſi notum æquis iniquiſque fuerit, non poſt inimici mortem ſcribendi tibi natam eſſe fiduciam, ſed jam paratam editionem morte præventam*. Et tamen de moribus ibi agebatur, quæ res conviciis haud facilè vacat; nec tamen ullatenus adaptari Maximo aſſeverat celebre Homeri effatum: *Nulla Pietas, defunctos conviciari*. Rectè id quidem, ſi Maximus, ut credere fas eſt, æquam graviſſimamque adversùs Plantam querendi cauſſam habebat. Rectiùs tamen in re noſtra, tum eâdem prorſus de cauſſa, tum vel maximè, quòd hîc non Satyra in mores, ſed in ſcientificas opiniones Criticæ Diſſertationes deſignantur. Opportunum quidem eſt in Sbaraleæ facto Plinii conſilium:

Ibi.

C. Plin. Secund. Lib. 9. Epiſt. 1.

Homer. Odyſſ. Lib. 22.

P lium:

lium: & id quiſque perſpicuè cognoſcet, modò non ignoret, Malpighianæ Reſponſionis, vel quo ille vivebat tempore, nonnulla manuſcripta exemplaria, non parum licèt poſt Malpighii mortem immutata, non modò in alias plures, verùm & in ipſius Sbaraleæ manus irrepſiſſe (quod ſpectatiſſimæ fidei homines certè jam norunt) ſic ut eidem, quæ adversùs præfatam Reſponſionem reponeret, vel tunc meditari, ac ſcribi cœpta, non niſi ipſo vita deinde jam functo Malpighio, completa fuerint, ac typis mandata. Itaque Terranovæ declamationibus iis in locis, quibus Mortuorum tutelam aſſumpſit, quoddam Mendozæ dictum, licèt alia in re, tamquam ſubſidiarium adjungo: *Si cum Larvis ſolùm Larvæ luctantur, quod erit monſtrum ad eaſdem ſcribere, maneſque tamquam Vivos alloqui?* Hanc ille exclamationem non ſuis abſimilem libenter audiet Terranova. Neceſſe tamen eſt, ut etiam præfati Doctoris reſponſionem, tamquam in ſe ſcriptam audire pariter, & amplecti non recuſet: *tace: non eſt abſurdum.*

P. Franciſc. Mendoza Virid ſacr. & profa. Erud. Lib. 5. Probl. 14.

Idem ibi.

CAP.

CAP. XI.

Sequitur Examen Epiſtolæ Terranovæ.

I. UBi primùm Terranova alterum Epiſtolæ ſuæ Punctum aggreditur, ſtatim ad Moralem Materiam deſcendit, ſuum explicans, ac dividens argumentum. Quemadmodum Horatius contra Sbaraleam oſtendendum ſuſcepit, *iſtum ipſum hominem in eiſdem prorſus erroribus paſſim deprehendi, quos in altero reprehenderat*; ita illud ipſum præſtare inſtituit Terranova de re Morali, hoc eſt *de animi æſtu, de falſitate, de ſuperbia, de aliorum contemptu.* *Epiſt. Terra. N. 2. pag. 5.* *Ibi.*

Ego quidem, uti jam dictum eſt, nequaquam inveni hæc vitia Moralia a Sbaralea in prima ſua Diſſertatione Malpighio adſcripta; nunc verò pro certo habeo, hujuſmodi inſimulationes a nemine reperiri poſſe in eâdem, utpote in qua ne ipſe quidem invenit Terranova, qui ab ultimo dumtaxat Libro, cujus titulus *Oculorum, & Mentis Vigiliæ*, verba excerpſit, quibus putat has accuſationes ſignificari: nam quamvis ipſe aliquando ejuſdem primæ Scripturæ mentionem faciat, id tamen rarò evenit, & dumtaxat, cum ad id Lucam impellit neceſſitas. Dum enim Locos Libri Vigiliarum recenſet, quibus conqueritur Sbaralea, a germano earum ſenſu quaſdam detorſiſſe Malpighium propoſitiones primæ ſuæ Diſſertationis,

hanc ſilentio præterire omnino non potuit. Nunc opus eſt perpetuò meminiſſe, hunc Vigiliarum Librum Replicationem eſſe ad Malpighianam Scripturam; hujuſmodi autem ſcripturam (ut jam diximus) eò quidem poſſe nomen Reſponſionis obtinere, quòd nimirum præhabitæ Provocationi in ordine critico reſpondeat; at verò in ordine injurioſo nullo pacto illud ipſum nomen ſortiri poſſe: quin immo dicenda eſt Provocatio, quia nullâ injuriâ laceſſitus fuit Malpighius in priori Diſſertatione. Debebat igitur Terranova primùm omnium cum præfata Sbaraleę Diſſertatione Reſponſionem Malpighii conferre, quod ſi quidem præſtitit, id in eum finem (aliàs inutilis prorſus hic labor fuerat) præſtare debuit, ut ex iis ad invicem collatis rectiùs colligeret, quoſnam eorum primus anſam injurioſæ provocationi dediſſet. Componenda ſubinde erat Reſponſio, quæ habetur in Operibus Poſthumis Malpighii, cum Libro, qui inſcriptus eſt *Oculorum & Mentis Vigiliæ*, ut dignoſceret, an Sbaralea in hoc retorſiſſet, compenſaviſſetque, exceſſu, aut moderatione, punctiones ab ipſa Reſponſione acceptas. Poſt ſimilem diligentiam poterat tamdem ſententiam ſuam ferre in genere Morali; atque adeo ipsâ morum, & Honoris Scientiâ comite, ac adminiſtrâ, eam ſibi poterat famam adſciſcere, quam, quia ordinem adeo neceſſarium neglexit, aſſequutus non eſt. Unicè

quip-

quippe ſtuduit excutere, ac rigidè interpretari poſtremum Librum, nec quicquam illi curæ fuit, ut aliquam ſaltem haberet rationem eorum, quæ præceſſerant, ut attenderet, uter Diſputantium injurioſè provocaret, uter provocaretur, ut injurioſam denique provocationem a criticâ diſtingueret: Uſque adeò deceptio iſta nobis omnibus familiaris eſt, ac ſolemnis

——Suus cuique attributus eſt error,
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt. *Catul. ad Varrum.*

Rectè quidem Æſopus, unumquemque duplicem apud ſe ferre ſacculum; in illum tamen, qui ante oculos pendet, aliena vitia; in alterum verò, qui a tergo eſt, ſua reponere. Uſu præterea venit, ut ipſa eadem animi perturbatio, quæ propria vitia nequaquam nos ſinit diſcernere, nos ipſos adigat, ut amicorum vitia pro noſtris habeamus; e contra verò lubenti animo palam faciamus eorum vitia, quorum amicitiâ non tenemur. Conabor id ego præſtare, quod non præſtitit Terranova, nimirum præ me utrumque ſacculum ferre, immo ante Lectoris mei oculos utrumque invertere: ac ſicut cum prima Diſſertatione Sbaraleæ contuli Reſponſionem Malpighii; ita hanc conferam cum Libro poſtremùm edito a Sbaralea.

II. Hic porro, ſatius quàm alibi, juvat repetere, quod alio in loco attigi, probabile ſcilicet videri, Scripturam Malpighii in Opere ſuo poſthumo, variis additamentis infectam fuiſſe.

Fir-

Firmant hujuſmodi probabilitatem Sbaralea æquè, ac Terranova, & Florianus, diverſo quamvis modo ac propoſito de illa agentes. Primus in ſuis Vigiliis hæc habet: *ex his probabiliter deducitur, Antagoniſtam non fuiſſe Auctorem Reſponſionis Epiſtolæ ad Amicum, aut ſaltem plurima ab aliquo Amico Medicinę prorſus imperito intermixta oſcitanter fuiſſe:* libentiùs ipſe dixerim *ab aliquo Amico, Moralis Scientiæ imperito*; dum evidenter perſpicio in hoc genere hanc Scripturam deficere, nec facilè inducor ut credam, defuncti Literati indolem in hæc menda proclivem fuiſſe. Idcirco multò magis quàm allatum Textum, eum approbo, qui in prima Libri Vigiliarum pagina legitur, ubi attingitur diſcrimen *inter labores poſthumos, & non poſthumos: & ſanè in genere morali eſt ita inſigne, ut prædicta omnia Opera ab uno Parente non videantur eſſe parta.*

Oculorum & Mentis Vigiliæ Sbaraleæ Par. 2. pag. 305.

Ibi Pars prima Criticologica pag. 1.

Non prætermiſit Terranova mentionem facete infectionis Operum poſthumorum contra eos, quos Malpighii adverſarios appellat, id ipſos quoque concedere innuens, dum inquit: *at prœterquamquod ſemper meminiſſe oportet, quod ultro ipſi quoque concedunt, multa Poſthumis ab alienis manibus intermixta eſſe.* Sed fuſiùs Horatius de Florianis, ubi in apoſtrophe, ſeu quod potiùs dixerim, invectivâ paulò acerbiori contra Sbaraleam, his verbis utitur. *An ignorat Opera hæc Poſthuma...... ab ſuo Auctore ſubceſivis horis hîc illìc conſcripta in poſteriori Epiſtolarum*

Epiſt. Terr. N. 5. p. 31.

Epiſt. Horatii de Florianis N. 4. p. 85.

qua-

quarimdam parte, non opus ſaltem ſemiperfectum, ſed chartarum carthularumque confuſarum faſciculum ab eodem relicta eſſe? An neſcis eumdem antequam ultimum obiret diem, enixè commendaſſe, ut ſi cui unquam res inibi ſcriptas in publicum emittere libuiſſet, magnos quoſdam hiatas, & lacunas inter ſcripta verba paſſim occurrentes, in quo quæque occurreret loco, relinqueret? quod quidem doleo, non fuiſſe poſtea ſervatum. Deinde paratum ſe præbet ad fulciendum, firmandumque hoc veriſſimum factum, pergens ſic invehi in Sbaraleam: *aut ſi putas, me totum hoc de Chartularum faſciculo, & de lacunis tibi fingere, quæ tamen omnia per ampliſſimos teſtes probare poſſem, ſi vellem &c.* *Ibi Num. 4. p. 86.* Ego ſanè conſtanter adeò credo, quod ipſe aſſerit, ut ſine teſtium advocatione exiſtimem, lacunas fuiſſe in exemplari Malpighii, ea omnia ſpatia, quæ modò malè moratis ſenſibus repleta conſpicio: quin etiam mecum ipſe gratulor, non eſſe cur illi inſigni adeò Philoſopho tot referam planè incongrua. Doleo tamen, quòd eorum imprudentia, qui manum injecere in illam Reſponſionem, de ſtatu ſuo controverſiæ dignitatem everterit, ſumma cum modeſtia ſuſceptæ Sbaraleam inter, & ipſum Malpighium, ſeu quod veriùs dixerim, inter illum, & omnes Cultores trium nuncupatarum Anatomiarum.

Ab hoc primo inconveniente factum deinceps eſt, ut paulò liberiorem in Libro de Vigiliis ſe exhibuerit Sbaralea, utpote acriter la-

ceſſitus, ſive a Malpighio, ſive ab aliis, qui illius Scripturam turpiter inquinarunt, illiuſque nomen ejuſmodi animadverſionibus objecerunt. Non tenebatur Sbaralea iis Reſponſionis Poſthumæ locis parcere, quæ non eſſe Malpighii ſuſpicabatur, nec errorem corrigere, quo ſe obvolverant ejuſdem Sectatores, in publicum efferendo ſub illius nomine res planè a tanto Viro abhorrentes. Ipſi ergo ſe remordeant, qui Auctorem ſuum marte proprio injurioſum efficiendo, ab injuriæ nota vindicarunt non pauca Sbaraleæ dicta, quæ videlicet potuiſſent improbari, niſi aperta omnino provocatione jam antea fuiſſent propemodum extorta.

Quod honeſtiùs a Replicante expeti poterat, ſui dubii confeſſio erat; non autem ut ſuam omitteret Replicationem, eamque in illud nomen non intenderet, quod ſibi in contumelioſæ ſcripturæ fronte tamquam ſcopus prætendebatur. Poterat utique contentus eſſe, criminationes repellere ſimplici tantùm, eaque validâ Negatione, abſque eo quòd compenſaret; quamvis id faciens, ſumma tamen fecerit cum Moderatione. Poterat pro inſtituto firmiter rejiciendi injurias omnes, quæ in illa Reſponſione continentur, id unum ſcribere, quod re ipſa ſcripſit, *non contradicendi libido, non particulares fines fuerunt, qui nos moverint ad ſcribendum contra ſæculi luxuriem, quia Veritatem, quam defendimus, docuerunt, & docent Medici primi nominis.*

Ocul. & Men. Vigil. Par. 2. Apolog. pag. 427.

nis. Sufficientiſſima planè erat hujuſmodi negatio: quia ut omnia verba inſerta poſthumo Operi, quibus Sbaraleæ affingitur contentioſus Animus, Invidia, Malignitas, Calumnia, in ejus ſcribendi finem collimant; ita omnia ſimul ipſe evertebat, negans, alium ſibi finem fuiſſe, quam ut pro veritate ſcriberet: atque hæc negatio compellebat adigebatque Antagoniſtam, ut illas omnes injurioſas aſſertiones comprobaret. Cæterùm quòd intra hanc repulſam minimè ſe continuerit, quòd aliqua ex injurioſis dictis retorſerit (ſemper tamen minori cum aſperitate) id ipſi multis de cauſſis facere licuit. Non eò dicam ſolùm, quia injuriarum compenſatio admittatur, ut oſtenſum eſt c. VII. §.4. Nec eò dicam, quia, aliquorum Sententiâ, in ipſius inſimulationis retorſione virtualis Negatio includatur; ſed rem dicam, quæ quamvis primo intuitu paradoxa videatur, non tamen ſuo caret fundamento. Ne ſoli negationi acquieſceret Sbaralea, aliquâ ducebatur cauſâ, ac Majori, quàm ductus eſſet, ſi vitam adhuc traduxiſſet Antagoniſta. Ratio in promptu eſt: quia cum a repulſa homini injurioſo pœna per ſe graviſſima inferatur, dictum ſuum probandi; non amplius hanc pœnam exigi ab eo poſſibile erat, qui, cum jam vitâ non frueretur, probare non poterat. Præterea negatio in hoc caſu unum dumtaxat ex ſuis effectibus ſortiebatur, nimirum conſulendi in-

demnitati Offenſi; non autem alterum, Offenſorem, videlicet, adigendi ad probationem: magno autem vertitur honori innocenti viro; cum veritatis vi conſtrictus Actor, nullo pacto probare poteſt.

III. Quanta verò ſit moderatio, qua uſus eſt Sbaralea, in retorquendo, aut compenſando infenſum ſcribendi modum in Reſponſione Malpighii, videre erit in examine Tertii Puncti Epiſtolæ Terranovæ, cuius argumentum eſt *quòd a Vigiliarum Scriptore animi in ipſum æſtus, ſive acriter ipſi reſpondendi, immo detrahendi libido præceptori noſtro objecta fuerit*. Potiſſimum verò fundamentum, cui ſuppoſitum hoc innititur, ex ſequentibus Sbaraleæ verbis ille deſumit: *hinc poſſumus arbitrari Antagoniſtam a lii* inſtituetur *deceptum eſſe, & deceptionem ortam eſſe ex inconſideratione Verbi Inſtituo: niſi dixeris, benigne Lector, cum Salviano Maſſilienſi..... adeò eſuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non habet*. Sed non meminit Terranova Periodi, quæ tamen in præcedenti Malpighii Scriptura continetur, *ſe l' Autore della Lettera aveſſe letto l'Opere de' Moderni ponderatamente, e con indifferenza per approfittarſene, e non con animo di ſempre contraddire &c.* Hîc cupiditas, & contradicendi libido poſitivè perſpicuèque affirmatur de Sbaralea, non autem obliquè innuitur, aut ad modum generalis Vitii ab aliquo Auctore notati. Salviani ſunt verba *detrahendi li-*

Epiſt. Terra. N. 3. pag. 6. & 7.

Ocu. & Men. Vig. Pars 2. Apolog. 477.

Opera Poſth. pag. 140.

di libido. Hæc tantummodò Sbaraleæ *Antagoniſtam deceptum eſſe*: quæ intellectus, non voluntatis depravationem referunt Malpighio. Quòd ſi putet Terranova, artificium contineri in illa Clauſula *niſi dixeris, benigne Lector, cum Salviano,* conſideret ipſe oportet, aliud audacius reperiri in duobus Malpighianæ Reſponſionis locis ſuperiùs citatis c. IX. *Ho legitima occaſione di maravigliarmi della poca avvertenza, per non dir malizia, del noſtro Autore,* & alibi. *Non meritano rimproveri, ſe non da maligni, & ingrati, fra' quali non vorrei porre il noſtro Autore.* Non adeò facilè inveniet ipſe, qui concedat, minùs grave eſſe quamvis obliquè, maligni, atque ingrati animi vitio quemquam notare, quàm mentionem facere in peculiari propoſito vitii generatim ab aliquo Auctore notati. Poſt animoſam Scripturam poſthumam non ampliùs tenebatur Sbaralea, dum occaſio aliquem acrem textum citandi ſe offerret, modos illos, illaſque correctiones ſubjicere, quas adhibuit, Gavaſſeti verba aliquanto liberiora allegans, tunc quando controverſia puris terminis criticis ferebatur, ac a ſuo nondum Adverſario ipſe fuerat laceſſitus. Tantum ex facundia ſua adpromiſit ſibi Terranova, ut crediderit illius ſpe Lectorem ſuum eò perducere, ut rerum omnium obliviſceretur, quas legiſſet in Diſſertationibus, in Operibus poſthumis, ac in Vigiliis; aut flocci faceret hujuſmodi libros lectitare, ſi quando non legiſ-

Ibi pag. 166.

Ibi pag. 133.

ſet. Abſque hac fiducia non ſatis congruum erat ſubjicere: *Probatum enim eſt ab Horatio n. 7. ſuæ Epiſtolæ, verba illa Diſſertationis jure optimo fuiſſe in Poſthumis reprehenſa, & conſequenter, nullam ibi eſſe detrahendi libidinem, ubi ratio eminet, & veritas dominatur.* Deſcendamus ad Verba Diſſertationis, atque ad probationem, quam ex ipſis deduxit Horatius ita ſcribens: *Certo certius eſt ipſum in Diſſertatione, non ſolùm ſcripſiſſe:* (ecce Sbaraleæ verba ab ipſo relata) *conſulerem, ut Anatomia comparata inter fluida, ſana, & morboſa inſtitueretur:* deinde proſequitur Horatius *verùm etiam abſolutè addidiſſe:* (ecce ſequentia Sbaraleæ verba) *quæruntur in denatis viſcerum labes, & ſanguis cæterique humores negliguntur, quod eſt idem ac inveſtigare effectus in partibus ſolidis, & oſcitanter prætermittere cauſſas in fluidis latentes.* Non illaborioſum eſt percipere, quid tamquam certo certiùs demonſtrare hîc velint Florianus, & Terranova. Certiſſimum quidem eſt, propoſitionem Sbaraleæ hîc relatam criticam dumtaxat eſſe, cum Anatomicum dumtaxat abuſum carpat, atque ex talibus Verbis nullo pacto conjici poſſe, Sbaraleam primum fuiſſe, qui alteri adſcripſerit cupiditatem, ac libidinem contradicendi. In ultimo quidem libro, Salviani auctoritate dixit, hominibus familiarem eſſe contradicendi libidinem. Verùm illud dixit poſtquam in eo contradicendi animum expreſſè aſſeruit Malpighius in ſua Reſponſione, ac poſt-

Epiſtol. Terr. N. 3. pag. 7.

Epiſt. Horat. de Florian. Num 7. pag. 132.

poſtquam una ex ultimis hujuſce periodis ſequenti, pungentiſſimoque fine concluſa fuit: *eſſendo egli evidentemente un Cavillatore*. Ut Sbaraleæ æquum ſeſe commovendi jus tribuatur, vel negetur, nihil refert, ejus verba injuriâ, aut *jure optimo fuiſſe* in Poſthumis *reprehenſa*: nec inde infertur validè *& conſequenter, nullam ibi eſſe detrahendi libidinem, ubi ratio eminet, & Veritas dominatur*. Punctum quæſtionis criticæ adhuc eſt, & diu fortaſſis erit ſub judice; nec tanti ſumus Terranova, aut ego, ut firmiter definiamus, pro qua parte *ratio emineat, & veritas dominetur*. Idcirco ab hac deciſione non pendet, nec pendere poteſt ferenda in genere morum ſententia, vel de Libro Vigiliarum, vel de juſtâ, injuſtâve Sbaraleæ contra Malpighium querela; ſed verè pendet hoc totum ex eo, quod in ordine ipſo, de quo hîc agimus, injurioſo, ille primùm fuerit laceſſitus. Ad cujus rei certitudinem nihil aliud opus eſt ſcire, quàm Reſponſionem conſcriptam fuiſſe ante Vigiliarum Librum, atque hunc in ipſam ſcriptum eſſe. Aliud verò quod ſpectat, Sbaraleam nempe eam Animi infirmitatem Malpighio tribuiſſe, quâ plurimùm torqueretur harum controverſiarum cauſsâ, ut apparet ſequentibus verbis a Terranova notatis in Libro Vigiliarum: *Antagoniſta Cenſuras allatas ægrè tulit, ita ut voce, ſcriptis, & vita voluerit dolorem, & graviſſimum Animi pathema patefacere Bononiæ, Romæ, & alibi*; ego

Op. Poſthum. pag. 187.

Epiſt. Terra. N. 3. pag. 7.

Ocul. & Ment. Vigil. Pars 2. Apolog. p. 297.

potius

potius Malpighium invenio, hujus perturbationis infirmitatem priùs Sbaraleæ tribuiſſe, dum in Opere poſthumo ſic lego: *Il noſtro Autore ha avuto troppo ardente paſſione nella Fornace del ſuo cuore:* & alibi: *queſta è la ſpina, che da gran tempo in qua gli punge il cuore*. Exactis ad veritatis regulam claris hiſce argumentis, minimi negotii erit decernere, an ſcilicet ſuo ipſe jure Terranova poſſet, niſi Sbaraleæ injuriam inferret, hac ſuper re pronunciare: *videri hunc hominem pertinaci quadam contradicendi Præceptori noſtro libidine arſiſſe*, ac arguere, quodcumque ejus dictum *effrænem atque immoderatum animi æſtum patefacere*.

Op. Poſthum. pag. 180.

Ibi pag. 118.

Epiſt. Terr N. 3 p 8.

Ibi Num. 3. pag. 11.

Prætereo integram tranſcribere periodum, in qua edoctum ſupponens Antoninum de quodam eventu a controverſia literaria maximè alieno, dolet exteras etiam gentes de eodem certiores factas non eſſe, ſcribens: *Lectores verò omnes, & præſertim exteri, in quorum potiſſimùm inſtructionem hæc ſcribimus, noviſſe non poſſunt; cruentas nempe, immo funeſtas inimicitias, Magiſtro tamen noſtro has improbante, inter ſuum, & illius hominis fratrem interceſſiſſe*. Horrendum ſanè mihi eſt, non modò ſuſpicari, verùm & imaginari, quòd cruento ejuſmodi facinori Literariæ doctiſſimorum iſtorum Hominum diſceptationes originem ſuam debere potuerint: horrenda, inquam, mihi eſt vel hæc ipſa turpiſſimæ imaginationis ſpecies, utpote publicæ honeſtati maxi-

Ibi Num. 3. p. 9.

maximè adverſa; quare & vereor, ne Lectori meo ſtomachum moveam, ſi temerarium adeò judicium confutandum ſuſcipiam, quod in mentem honeſti, ac benè inſtituti hominis venire minimè poteſt. Quicumque noverit, quàm rigidè, ſalubriterque Honoris diſciplinâ cautum ſit, ne hujuſmodi rerum memoria iterum evolvatur, poſtquam fœdere pacis inito, ſancta eas preſſit oblivio; jure Sbaraleam commendaverit, quod earum, quam Poſthumis ſuis Operibus injicere Malpighius non timuit mentionem, ipſe interim prætervidentis in morem neglexerit.

Non ſic verò notare prætereo inſignem inter ſenſus Terranovæ contradictionem. In hoc tertio puncto magnum ciet, creatque ſtrepitum, eò quòd profiteatur, Malpighio illatam fuiſſe injuriam ab impoſita criminatione libidinis contradicendi: atque ego quidem lubens concederem, & hanc injuriam eſſe, & Sbaraleam ejuſdem Auctorem dicendum fuiſſe, niſi priùs, ac manifeſtiùs hanc ipſam contradicendi libidinem eidem imputaſſet Malpighius. Cum Terranova convenient omnes, hanc inter vitia moralia recenſendam eſſe; ſed ſecum ipſe non convenit, dum aliud ab eo, quod hîc ſcribit, in calce ſuæ Epiſtolæ judicat, Sbaraleam ſcilicet, de contracto inſenſibiliter diffidendi habitu notare, non eſſe eum vitii Moralis accuſare. *Quod verò* (inquit,) *attinet ad mores, numquam,*

ut alibi

Ibi Num. 10. pag. 63. *ut alibi dictum eſt, per Epiſtolas haſce intendi pravæ ipſum intentionis accuſare, ſed omnia in antipathiam quamdam, & inſenſibiliter contractum diffidendi habitum expreſsè refundi*. Laborare opus non eſt, ut oſtendatur, ſin antipathiam, aut ingenitam contradicendi alicui inclinationem, ipſum ſaltem contradicendi habitum, expreſſum eſſe vitium, quippe qui mediis pravis actibus, ac voluntariis, contractus eſt. Hoc nos labore levavit Ariſtoteles, fusè eos rejiciens, qui putabant *Virtutem eſſe quid voluntarium, non item vitium*, perinde ac videtur credere Terranova, dum ſupponit, eos habitus minimè vitioſos eſſe, qui ſenſim, & abſque præciſa humanæ voluntatis deliberatione contrahuntur. Qui ſolo contradicendi genio eò adducitur, ut jure, vel injuria contradicat, & ſi illi deliberatum, quoad hoc, peccandi conſilium non ſit; dicendus tamen eſt non minùs voluntariè agere, quàm ille dicatur voluntariè ſudare, qui ſub Sole ambulat, quamvis ſibi ut ſudaret non propoſuerit. Hæc eſt Angelici Auctoris ſimilitudo: *Si quis velit ambulare in æſtu, præſciens, ſe ſudaturum, conſtans eſt, quod velit ſudare: quamvis enim hoc ſecundùm ſe non velit; vult tamen potiùs ſudorem pati quàm ab itinere abſtinere. Nihil enim probibet, aliquid non eſſe ſecundùm ſe voluntarium, quod tamen eſt voluntarium propter aliud*. Tenetur homo cognoſcere, atque animadvertere, quòd niſi contradicendi genio frænum injecerit, contentio-

Aguirre Explan. Ethic. lib. 3 Cap. 5. Num. 1.

Div. Thom. Com. Ethic. Lib. 3. Lect. 11.

tentioſum tamdem habitum ſibi facilè adſciſcet: atque id quidem magis adhuc cognoſcere, ac animadvertere tenetur, quàm, quòd ſudaturus ſit, niſi ab itinere ſub Sole urente abſtineat. Si hoc titulo venia cuiquam daretur, quòd nempe inſenſibiliter, ſeu quod præſtat dicere, ſocorditer, habitum contraxiſſet; nec vitioſus ullus, nec voluntarius eſſet habitus. Quamquam autem ex eo quòd perarduum omnino ſit, pravos habitus vincere, poſtquam invaluerint, rectè de illis dicatur, quod *non ſubjacent voluntati, poſtquam ſunt generati*; non idcirco tamen ſit, quod rectè voluntati non imputentur: cum ab iſta ipſorum habituum principia dependeant, nimirum actus, ex quibus illi conſurgunt, cumque planè indubitatum ſit, quòd *a principio in poteſtate hominis eſt, quòd non fiat injuſtus, vel incontinens*. Hoc itaque poſito, quòd Homo teneatur cognoſcere, ac proſpicere ejuſmodi periculum, ne ſcilicet in malos habitus ruat, abſolvi ille nequaquam poteſt, quin æquè teneatur, & eorum principiis obſtare, & pravas inclinationes vincere; niſi maximum illud admittatur abſurdum, quod humani arbitrii libertatem excludit. Modernus id monuit in hoc Ethicæ loco Purpuratus Commentator, ubi ſcripſit: *In noſtro arbitrio poſita ſunt principia Vitiorum quorumlibet, etiam eorum, quibus obtenebrati quandoque non poſſumus deſiſtere a peccando, cum oriantur ex actionibus pravis, & voluntariis:*

Idem ibi.

Idem ibi.

Aguirre Explan. Ethic. Lib. 3. Cap. 5. Num. 12.

 inde

inde in rem noſtram de Animi inclinationibus decrevit, *pravam ſive non adeò congruentem diſpoſitionem Mentis ab origine derivatam, nullatenus neceſſitatem inferre, ſed potius libertatem relinquere ad actus turpes, quibus contrahitur vitium.*

Idem ibi N. 20.

IV. Verùm longiùs fortaſſe res iſta me abripuit, quàm deceret; ideoque ad Quartum tamdem Epiſtolæ Punctum me confero, ut de eodem ſimul, ac de ſequentibus ſtrictiùs agam, idque eò præcipuè quòd Terranovam dicentem audiam: *Videor mihi Epiſtolam jam abſolviſſe.* Hîc ille, ſe oſtenſurum pollicetur, Præceptori ſuo *falſitatem, atque mendacia in Vigiliis objecta eſſe.* Primùm verò omnium animadvertat, quæſo, Lector, an in prima Diſſertatione, qua ſolidiori Medicinæ Practicæ *parum, aut nihil* inſervire perhibentur tres illæ Anatomiæ, quas multi coluerunt, ac colunt, an, inquam, ibi falſitas ulla cuiquam prædictorum Cultorum tribuatur, nedum Malpighio, cujus nulla umquam fit mentio; deinde attentè Reſponſionis Poſthumæ duos, quos hîc ſubdam, locos perpendat: Alter eorum maximè notandus ille idem eſt, quem & ſupra retuli, & in quo Sbaraleæ oppoſitio perſpicuè vocatur *Calunnia*. Alter verò eſt, ubi, occaſione cujuſdam Auctoritatis ex Seneca productæ, atque itidem ſupra mihi memoratæ, eâdem pravè uſum fuiſſe Sbaraleam ſibi fingens Malpighius hæc ſcribit: *Si ha motivo giuſto di ſoſpettare della Fede del noſtro Auto-*

Epiſt. Terra. N. 4. pag. 24.

Op. Poſthum. pag. 102.

Ibi pag. 186. & 187.

Autore, e del malizioſo artifizio del ſuddetto. Non alia huc refero verba, v. g. illa, quibus ait, quòd ab inventione Vaſorum lymphaticorum, & Ovorum Mulierum non poſſint deduci indicationes, & quòd *non ſiano parte della Medicina anche prattica, è bugia manifeſta;* quoniam ſatis mihi perſpectum eſt, quod ut & alii perſpicerent, volui, longè nimirum aliud eſſe alicui Homini inſcitiam, ſeu mavis cognitionis defectum, ac ſit proterviam pravitatemque voluntatis adſcribere. *Vir bonus præſtare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat*. Qui pro Sbaralea ſtaret, fortè dicere non injuſtè poſſet, eas tamdem non niſi meræ inadvertentiæ, ac inconſideratæ contradictionis accuſationes eſſe, quas in Malpighium jacit, quaſque potiſſimum ex tribus ejuſdem locis produxit Terranova. Primum ipſe non integrum recitat, cujus hic tenor eſt: *Sed ſicut hucuſque nobis imponere conatus eſt; ita paulò poſt veritatem confeſſus eſt, & nobiſcum convenit*. Mutilus quoque affertur ſecundus, eòque collimat, ut affirmet, *Adverſarium noſtrum, vel ſui oblitum eſſe, aut ſcripſiſſe id quod numquam vidit, quod maximè veriſimile eſt, aut de contradictionibus non fuiſſe ſolicitum*. Poſtremus denique hæc habet: *quod maximè feſtivum eſt, hoc eſt, quod numquam vidit, ſuis Cogitatis accommodavit, ſperans, & ob laborem, & ob objecti parvitatem artificium non poſſe niſi maxima difficultate detegi*. Nolim tamen ego, aut patrocinandis, aut in-

Nigidius lib. 11........

Ocul. & Men. Vigil. Par. 2. Apolog. pag. 416.

Ibi Pars I. Criſolog. pag. 2. & 3.

Mantiſſ. ſubſid. pag. 607.

terpretandis hujuſmodi Dictis vacare; cum tota penè id agendi ceſſet occaſio, ubi iſtis ex adverſo dumtaxat ſtatuatur expreſſa Calumniæ imputatio vel ipſo Poſthumæ Reſponſionis initio a Malpighio Sbaraleæ affixa. Tantum abeſt ut ego ſubtilia hîc quæram, tantuſque inquirendæ Veritatis (quam unicè ſcopum habeo) Amor me impellit, ut malim nonnullos ipſe alios indicare locos, quibus potiori jure ſuſpicari poterat Terranova, ne Malpighii Voluntas, potius quàm Ingenium, peteretur. Suſpicionem itaque hanc facilè inducere potuiſſet Textus ille, quo de Malpighio Sbaralea ſic ſcribit: *Quo Corde loquitur Adverſarius noſter? veridico? neutiquam:* item alius: *quæ omnia an oſtendant Animum ejuſdem, an cognitionem ambigimus:* ac tamdem maximè omnium iſte, quo Malpighio exprobrat, quòd ſpecifica remedia damnaret, quando ipſe ſpecificis uteretur: *Mi Domine tu loqueris contra Conſcientiam, quia omnes Bononienſes norunt, tuas formulas remediorum maxima ex parte ex ſpecificis conſtare.* Verùm & iſta, & quotquot alia iſtis affinia reperiri tamdem poſſent in *Vigiliis* Dicta, quoties æqua morali lance penderentur, numquam geminis dumtaxat, ſed illis prorſus graviſſimis, præponderarent, quæ ex ipſa Poſthuma Reſponſione primum attulimus: nec quidquam propterea juris haberet Terranova id agendi, quod propria auctoritate agit, nimirum ut Sbaraleæ *impudentiſſimam calumniam* adſcribat.

Ocul. & Men. Vigil. Pars Sec. pag 460.

Ibi pag. 443.

Ibi pag. 465.

Epiſt. Terra. N. 5. pag. 25.

V. Jam

V. Jam ergo lubens aggredior, non Quintum modò ejuſdem Epiſtolæ Punctum percurrere, quod eſt *de objectata Viro ſuperbia*, verùm & Sextum, cujus hoc eſt initium: *Ex morum erroribus, qui in Vigiliarum Libro Præceptori noſtro objecti ſunt, aliorum contemptus...... eſt ultimus.* Aggredior, inquam, unà utrumque percurrere, quia & geminæ iſtæ imputationes altera alteri valde ſunt affines: lubens verò id facio, quia curioſa res eſt, ac ſcitu digna origo, ex qua primùm Malpighio, deinde cæteris ejuſdem Sectatoribus opinio inhæſerit, quòd de aliorum contemptu ipſum Sbaralea accuſaverit. Meminit iſte in calce ſuæ Diſſertationis (quis verò putaſſet hoc unum fuiſſe, quod contra Librum Vigiliarum ſcribentem Terranovam cogere tamdem potuerit ſemel ſaltem ejuſdem Diſſertationis meminiſſe?) meminit, inquam, Iſte Soſtrati Architecti, qui cum Regis cujuſdam juſſu (fuit autem hic fortaſſe Ptolemæus) Turrim conſtruxiſſet, intus quidem in ſaxis ſuum ipſius nomen inſcripſit, exteriùs calce illita Nomen ejus, qui tum regnabat, ſuperinſcripſit; factumque hinc eſt haud multo poſt tempore, ut unà cum Calce eliſo abraſoque Regis nomine, Architecti nomen duris infixum ſaxis, & remanſerit, & propalam ſe dederit. Habeatur hæc narratio, vel tamquam Hiſtoria, vel tamquam fabula; verumve ſit, aut falſum quod de Calce addit Lucianus, planè nil refert; adeòque

Ibi Num. 5. pag. 27.

Ibi pag. 39.

nec

nec planè intererat, ut id anxiè diſcuteretur in Poſthuma Reſponſione. Norunt ſiquidem omnes, rebus quibuſcumque illuſtrandis æquè commodè aptari poſſe, tum veteres fabulas, immo recèns adhuc excogitatas parabolas, tum veras communiter habitas Hiſtorias. Quod ad rem noſtram conducit, ſola eſt narrationis, & caſus aptatio, quæ proximis verbis continetur: *Ita hujus Scholæ Medicæ intemperiei tempus erit Magiſter; idem magnificos noſtrorum temporum titulos emendabit*. Tota, ut quiſque videt, hujuſmodi aptationis ſeu alluſionis vis in eo eſt poſita, ut exprimatur, ac prænuncietur futurum, quòd Neotericorum ſtudiorum Gloria tribus illis Anatomiis innixa, eorumque utilitatis ſpecioſa opinio brevi pereant, quamquam veterum ſtudiorum, Praxin potiſſimùm reſpicientium, Gloriam ſplendidè nunc obruant, ac contegant, perinde ac ſi valido hæc Marmori impreſſa, diuque propterea manens frontem iterum ſit elatura; illa verò levi, caducæque calci inſcripta, quaſi, ac commiſſa, non diutiùs, hæſura ſit, quàm hæc ſoleat. Verba itaque illa *magnificos noſtrorum temporum titulos*, quorum nec rectus ſenſus, nec inſtitutæ comparationi conſentaneus foret, niſi de inani Recentium leviumque ſtudiorum Gloria intelligerentur, abſurdè omnino interpretatus eſt Malpighius in ſua Reſponſione: atque hinc ortum, quòd uterque Contendentium a ſuſcepta quæſtione

Diſſertat. Pr. Epiſt. Edit. Neop pag. 50.

adeò

adeò deflecterent, ut jam de Titulis inter ſe diſputarent, quos Literatis hominibus tribui, vel æquum eſſet, vel ſecus. Quæ porro digreſſio (ut ingenuè dicam) tantum abeſt ab aſſumpto argumento, quantum diſtant æra lupinis, ſeu quantum abeſt Medici munus a munere Præfecti Ceremoniarum, atque officiorum Epiſtolarium. Poſtulat omnis ratio, ut memorati Architecti caſus ita rei noſtræ aptari intelligatur, uti illum ſuæ aptavit Lucianus, nam & unicè tamdem Sbaraleæ inſtituto ſic congruet, non verò aliter. Eo utitur Lucianus, ut innuat Hiſtorici gloriam, non ab inani, fluxoque plauſu pendere, quo donatur ille, dum vivit, ſed ab eo, qui poſt ejus mortem in ævum ſupereſt, vigetque; hæc quippe ſunt Auctoris verba. *In univerſum autem illud memineris .... & non ad præſens ſolum tempus reſpiciens ſcribas, ut ii, qui nunc ſunt, te laudent, & honoribus afficiant, ſed in omne ævum intentus, illis potiùs, qui in poſterum victuri ſunt, Hiſtoriam componas, atque ab illis mercedem ſcriptionis depoſcas.* Eo verò uſus eſt Sbaralea, ut idem ſentiendum ſuaderet, & de recentium, quæ nunc placent, & de veterum, quæ iterum aliquando placebunt, ſtudiorum æſtimatione, ac pretio, prout jamjam monuimus. Qui numquam illud animadvertiſſet, quod facilè ſæpe in Diſputationibus contingit, nimirum ut alter diſputantium præcipuæ aſſumptæ quæſtionis incidente aliqua appendice diſtrac-

Lucianus de rectâ ſciben. Hiſtor.

diſtractus, illam deſerat, ſecumque Adverſarium eò abducat, ut longè de re alia quæſtionis ſit finis ab ea, quæ ejuſdem initium fuerat, ac ut cecinit Vates

Deſinat in piſcem Mulier formoſa supernè:

Qui, inquam, hoc numquam attendiſſet, in hac utique digreſſione luculentiſſimum iſtius erroris paradigma habere poterit. Incredibili porro facilitate Nominum Architecti, ac Regis Inſcriptiones, quas utriuſque Scholæ honoribus perſpicuè, ac disertè aptaverat Sbaralea, primò hîc ad Nomina, & Titulos transferuntur, quos ſibi mutuò tribuunt Literarum Profeſſores: deinde a Calce apud Lucianum memorata, migratio fit ad Fornacem, qua calcarii ipſi lapides coquuntur, ac tamdem micantiori adhuc ſaltu eò inſilit Malpighius, ut in fornace flammas, in flammis ardentem, quem Sbaraleæ Cordi affingit, æſtum conſideret, aliaque adhuc ineptiora his ipſis attexat. En Poſthumæ Reſponſionis verba: *Il noſtro Autore ha avuto troppo ardente paſſione nella fornace del ſuo Cuore, e di poca acqua di temperanza ſi è ſervito nel fermentarla, e la Sabbia, ch' è Vetro ſminuzzato in pezzi angolari, e taglienti, è troppa in quantità, & improporzionata a i Vani della Calce non farà lega, ma caderà, e di queſto ne laſcio arbitro il Lettore, e il tempo.* Prudens quiſque Lector (quantum ego quidem credo) facilè potiùs adducetur, ut putet, hunc unum eſſe ex iis locis, qui in Manu-

Op. Poſthum. pag. 18c.

ſcripto

ſcripto defuncti Auctoris Exemplari vaſta quædam fuerit Lacuna; cum ejuſmodi illationum, atque alluſionum ſeries, qualisqualis legitur in Reſponſione typis edita, indigna prorſus ſit, quæ vel mediocri Ingenio debeatur, nedum magno exporrectoque, quale Malpighii fuit. Hac ſuper re meditationes ſuas ſic exorditur: *Chi è l'Iſtorico della Natura, l'Autor della Lettera, o gli Scrittori d'Iſtoria Anatomica, e d'altre oſſervazioni naturali?* deinde alio ſtatim abripitur his verbis: *Li titoli de' noſtri tempi ſtimati da lui magnifici non ſi eſtendono che al* Famigeratiſſimus, Celeberrimus, Inclytus, Doctiſſimus, *e ſimili, li quali paragonati con quei de gli Autori del Secolo paſſato ſono un nulla; atteſo che il titolo di Divino non fu dato ſolo da gli Uomini dotti a Platone, ma al Veſalio, & a i Poeti medeſimi, come il Petrarca, Arioſto &c. Mi meraviglio, che il Sig. Dottore Gio: Battiſta Giraldi divoto ſeguace dell' Autor della Lettera, ſapendo quanto queſto Signore condanni queſti titoli, abbia avuto tanta confidenza, ſcrivendo, e publicando una Storia medica ſervirſi di queſta Iſcrizione* Celeberrimo Viro, Virtute, Doctrina, Experientia Phil. & Med. Doct. Colleg. & publici Lycei Bonon. primario Lectori, *titolo che non ſi trova nel noſtro ſtudio. Dentro poi a quella picciola Lettera l'abbia chiamato* Virorum ſapientiſſimo, & ſolertiſſimo Ingenio, *onde eſſendoſi ſervito de i titoli conforme la coſtumanza del corrente Secolo, queſti ſaranno ſecondo il ſuo Prognoſti-*

Ibi;

Ibi pag. 181.

gnoſtico anch' eſſi ſottopoſti all' emenda del tempo. Eò evaſit inutilis hujus digreſſionis abſurditas, ut qui Malpighii Opera Poſthuma in lucem ediderunt, Giraldi uſque Epiſtolam Sbaraleæ inſcriptam ipſis inſeruerint, ne mox adductæ tantæ neceſſitatis rei ſua deeſſet probatio. Actus hinc Vigiliarum Auctor, ut reponeret, non minores eſſe titulos, quos datæ Malpighio Epiſtolæ fronte gerant, ipſumque eos libenter omnium oculis ſubjeciſſe, dum præfatas Epiſtolas propriæque Vitæ Hiſtoriam efferret in Publicum: *Conſiderentur Epiſtolæ Meſſanenſes, Anglicanæ, & hujuſmodi, quæ ab aliis communiter ſupprimuntur, & nomine proprio non eduntur*. Sbaralea itaque in poſtremo ſuo Libro ab Argumento deflexit, multò plura, quàm opus eſſet, ſuper hac re attexens verba: quippe non aliud ſanè intererat, niſi ut ſiniſtra interpretatio innueretur, qua corruptum fuerat ſuum ſenſum: *Ab erudito Luciani monito inſtructi ſcripſimus, Medicinam Practicam a quibuſdam obſervatiunculis non locupletari, & ſecus ſentientes difficulter noſtris diebus ob præoccupationem poſſe removeri a ſua opinione; propterea ſcribendum eſſe, magis in futuram ſpem, quam cum adulatione ad gratiam, & dulcedinem iis, qui contrariam opinionem nunc laudant. Hæc fuit noſtra Sententia, quæ laudem Soſtrati involvebat, & noſtrum Votum in Medicina eamdem ſortem obtinere debere non dubitavimus, nec adhuc dubitamus, quia Reſponſio Antagoniſtæ eſt extra ſemitam.*

Oral. & Men. Vig. Par II. pag. 540.

Ibi pag. 539.

ſemitam. Quinimmo ſatis eſſe debuerat pauca quidem hæc, at ſucci plena verba ſcripſiſſe: *Antagoniſtam non intellexiſſe quæſtionem a nobis propoſitam*. Itaque ipſe etiam extra ſemitam raptus eſt, eòque adductus, ut longiùs Titulorum laſciviam atque exceſſum increparet, qui vel junioribus & impubibus leviſſimo etiam meritorum pretio tribuuntur: *quis noſtris diebus poteſt negare, Titulos eminentiſſimos etiam junioribus & impubibus attribui, quando vel ſolum Opuſculum, aut leviſſimam obſervatiunculam typis mandarunt?* Hæc verò poſtquam retulit Terranova, atque in Sbaralea ſuperbi, arrogantis, ſtudioſamque juventutem contemnentis Animi indicia eſſe ſuo ipſe jure decrevit, non excandeſcit modò, ſed furit, ſeque tantum putat, ut turbas in ipſum ciere, eamdemque ſtudioſam juventutem potis ſit commovere, ad talia in Reipublicæ commodum elucubranda, atque evulganda, *quæ Seni iſti dicaciſſimo ſilentium, & pudorem ..... incutiant*. Et quoniam, dum hanc digreſſionem Sbaralea ipſe proſequeretur, hoc quoque ſubjecerat: *Poſſumus ulteriùs dicere, omnes ferè modernos in ſuis Opuſculis tanta acrimonia Veteres inſectari, ut eoſdem Magiſtellos nuncupent & antiquitatem irrideant*, auctâ hinc fortè rabie Terranova impetum cepit eumdem damnandi, tamquam Modernorum æquè ſtudentium, ac ſtudiorum detractorem, prolata hujuſmodi ſententia: *in primis illud certum eſt, Recentiores, &*

Ibi pag. 140.

Ibi pag. 141.

Epiſt. Terra. N. 6. pag. 42.

Ocio. & Men. Vig Pars II. pag. 140.

Epiſt. Terra. N. 6. pag. 40.

quoſcumque propemodum Recentiorum labores ab eodem redargui, & parvipendi. Nec credi quidem vult, eidem ſaltem Antiquiores in pretio fuiſſe, ſed illorum, æquè ac iſtorum Contemptorem haberi, hoc firmans: *nullam Recentiorum præſtantiſſimis reverentiam habuiſſe, immo neque ſuis Antiquis; nam & iſtos quoque contempſit homo confidentiſſimus*. Qui pro Sbaralea quidquam reponere in animo haberet, facilè poſſet Auctorum Syllabum proferre, eorumque, tam veterum, quàm Recentiorum, quorum ipſe auctoritate, & in ſuis Diſſertationibus, & in Vigiliis frequentiſſimè proprias ſententias confirmat: ex quo deinceps poſſet arguere, quòd utroſque ille magni fecerit, nam & Terranova, ut Veteres Malpighio in honore habitos probet, hoc ipſo utitur argumento, inquiens, quòd *quandocumque potuit, Hippocratis, aut etiam Ariſtotelis, aut. &c. auctoritate ſuas ſententias confirmavit:* quinimmo & hinc rectè inferret, tantò pluris, quàm Malpighio, antiquos Scriptores haberi Sbaraleæ, quantò hi ſæpiùs ab iſto citantur, teſte ipſo Terranova, qui alibi adversùs eumdem Sbaraleam affirmare non veretur, quòd *iſta ipſa auctoritatum larga congeſtio ineruditum teſtatur*. Nova ſanè, inaudita, ac planè mira hujuſmodi propoſitio videtur; neque enim aut moleſta eſt, aut eſſe poteſt auctoritatum copia, in re præſertim diſputabili, niſi iis, qui ſuas opiniones eiſdem infirmari, infringique ſentiunt,

Ibi pag. 41.

Ibi Num. 6. p. 39.

Ibi Num. 8. pag. 53.

adeò-

adeòque veluti tela in ipſos vibrata mirum non eſt, quòd lamententur, ac oderint. Si quando tamen contingat, quòd hæc ipſa auctoritatum agmina nullo cæteroquin affectu præoccupati Homines faſtidiant, id non alia ratione evenit, niſi quia vel rei, de qua agitur, minimè congruunt, vel aliis, etiam ſine Teſte notiſſimis, probandis adhibentur. Nimium porro quid eſſet, quod Malpighii allegationes reverentiæ erga Veteres ſuæ argumenta haberentur; eædem verò Sbaraleæ non ſimilis erga citatos Auctores obſervantiæ, ſed pauperis tantummodò Eruditionis indicium præſeferrent. Hujuſmodi arguendi modis in hoc eodem Puncto paſſim utitur Terranova. Dum in libro Vigiliarum expendit hæc verba: *ſemper irriſimus vanam illam expenſam, quam aliquæ Univerſitates efficiunt pro conficiendo Kalendario vulgo Tacuino;* ſanè unuſquiſque crederet, inde eum inferre voluiſſe, Lunares ac planetarias obſervationes a Sbaralea ipſo, tamquam Medicinæ inutiles rejici; & tamen aliud omnino infert Auctor Epiſtolæ, quod a nemine umquam (rarum adeò novumque eſt) expectari potuiſſet: Sbaraleam ſcilicet *ſuorum Collegarum; & ſuæ Univerſitatis contemptus ita velare*, atque Bononienſem Univerſitatem ſibi ſubſannandam proponere, utpote in qua conſuetudo adhuc ſuperſit ſimile Kalendarium conficiendi: perinde ac ſi mos iſte aliis Univerſitatibus communis non eſſet,

Occ. & Men. Vig. Pars 1. pag. 419.

Epiſt. Terr. N. 6. p. 43.

& Bo-

& Bononienſis ſola minimo huic labori, munus aliquod deſtinaret. Non pauca ſunt, ut innuebam, argumenta à Terranova identidem allata, quæ ejuſdem Inſtituto obſtare, potiùs quàm favere videantur. Vel quando enim Sbaraleam quaſi magnificorum titulorum avidum verbis hiſce traducit: *eumdem hunc hominem quaſi conquerentem obſervo, quod ſibi iidem tituli, eademque laudes in poſthumo opere non tribuantur, quæ famigeratiſſimo Viro Georgio Entio tribuuntur;* non ille ſatis percipit, hoc ipſo eum parum firmas adversùs eumdem Sbaraleam Malpighii querelas oſtendere. Ne verbum quidem unum ille uſpiam protulit; quo videri potuerit id ab alio repoſcere, ut ipſum cum Entio paribus titulis acciperet. Se quidem admirari palam profeſſus eſt, licuiſſe Entio, quod de Ranarum pulmonibus Malpighius ſcripſerat redarguere, atque hac uti phraſi: *Tantali hortos vidit, qui apparent aliquid eſſe, cum revera non ſint;* ſibi verò facultatem non fuiſſe, ut multa de Plantis per Neotericos tradita reprobans, eamdem ipſam alluſionem eademque ferè Entii verba uſurparet: *Videre mihi videor Tantali hortos, in quibus, quæ apparent aliquid eſſe, revera nihil ſunt:* quod quidem Sbaraleæ ſenſum ita exprimitur: *cum itaque modus loquendi a nobis adhibitus nullo mutato verbo reperiatur apud alios communiter, non percipimus, quare tantùm nobis debeat eſſe obnoxius, & non aliis.* Ac jure quidem optimo miratus eſt,

Ibi Num. 5. pag. 31.

Entius citat. in Par 2. Vigil. p. 495.

Diſſer. Prim. Epiſtol. edit. Neap. pag. 43

Ocu. & Men. Vig. Pars II. pag. 495.

ægrè

ægrè Malpighium tuliſſe in Epiſtolari Diſſertatione illum ipſum loquendi modum, quem in ſcriptis Entii adeò diſſimulaverat, ut nec propterea Epiſtolarum cum eodem commercium abrumperet, nec titulos mutaret, quibus illum honorificè ac humaniter habere conſueverat. Non ſic verò mirari poterat, ut neque miratus eſt, quòd eoſdem ſibi titulos non adhibuerit, cum ſecum ille Epiſtolis non conveniret. Verùm, & minùs adhuc percipio quamdam aliam Terranovæ illationem, quâ Sbaraleam arrogantiæ Reum facit, eò quia Sacrorum Theologorum, ac probatiſſimorum de Honoris Jure Scriptorum textibus, aliquando uſus fuerit; nec ulla Mentis vi aſſequor, quodnam ſanum his illius verbis inſit ratiocinium; *Nec verò ex ſolis verbis, atque vocabulis ambitioſam hanc cupiditatem in iſto homine eſſe conjicitur; ſed ex his etiam, quæ in ſuo Libro tractare audet, aliquid ſuperbæ præſumptionis in ejuſdem animo apparere poteſt. Ut enim mittam Sacroſanctæ Theologiæ receſſus, & penetralia, quæ ſubire vix iſtis licet, qui totam vitam inter Scripturas, & Patres quieto, ſacroque animo conſumpſerunt, quanta libertate ſubeat, & quanta ſecuritate pervagetur; aut quomodo ex adverſo de Duellis, eorumque conditionibus diſputare non timeat.* Epiſt. Terra. N. 5. pag. 34. Quæſitam Vigiliarum Auctori occaſionem Theologicas Doctrinas in medium afferendi, aut ſacrorum Myſteriorum receſſus intrandi prorſus non video, ſic ut arguere Ter-

ranova

ranova potuerit, hanc ipſi ambitioſam cupiditatem fuiſſe, ut vel ſublimis iſtius Scientiæ quaſi Magiſtrum ſe præberet. Quamquam enim nonnulla ipſe de Angelis tradiderit in ſecunda ſui Libri parte Apologetica, ut indicaret, non perinde ab aliquo eorum, atque a Bruto, vel pondere (quod antea Malpighius ſcripſerat) quamcumque tamdem moveri Machinam poſſe; id non ſponte, aut extra rem, ſed ea illi neceſſitate actum, quam caſus intulit, nemo non videt. Theologica quædam ſapere, iiſdemque ſeu diſputando, ſeu philoſophando niti, numquam ſanè mihi ambitioſæ cupiditatis, multò minùs ſuperbæ præſumptionis (quod ait Terranova) argumentum fuerit; quinimmo verum, veriſſimumque cenſuerim, non aliunde meliùs, quàm a Sacrarum Literarum, ac Theologorum lectione, & ſolidæ ſcientiæ, & germanæ humilitatis dogmata hauriri tamdem poſſe. De re autem Honoris, quæ tota itidem Doctrinæ morum innititur, nihilque habet pretii, quod ab illa non accipiat, hoc unum dixerim, optandum ſcilicet adhuc mihi eſſe, ut tantum ſtudii ſaltem eidem impenderit Auctor Epiſtolæ, quantum putat impendiſſe Sbaraleam; nam tunc profectò modeſtiùs & humiliùs ſe geſſiſſet, eamque quam aſſumpſerat rem moralem exquiſitiùs tractaſſet. Poſtremùm tamdem omnium pleraque alia Sbaraleæ verba ita interpretatus eſt Terranova, ut ad aliud longè,

Ocul. & Men. Vigil. Pars II. pag. 153.

quàm

quàm quod volunt, ſignificandum eadem traheret, ac in omnium Animos induceret, notatum iis ſuperbiâ aliorumque contemptu Malpighium fuiſſe. Ne cunctos referam, unum ſaltem ex corruptis locis adducam. Ait itaque Terranova: *Non laborabo in reſpondendo his, quæ in Vigiliarum pag. 384. abſque ullo prorſus fundamento objiciuntur, ſcilicet quòd:* primus in omni loco, & tempore apparere ille voluerit. At in Libro Vigiliarum ſic habetur: *Qui nihil de praxi intellexerunt, primi in omni loco, & tempore apparere voluerunt*. Conſtat igitur hîc ad Malpighium peculiariter traduci, quod de Medicæ praxis imperitis in univerſum pronunciavit Sbaralea, nequaquam inter iſtos, hoc ſaltem in loco, Malpighium recenſens: quòd ſi ejuſmodi argumentis certandum eſſet, ut viſus eſt Malpighius Empiricum reputaſſe Sbaraleam, ita dici poſſet, eum voluiſſe tamquam Satyricum accuſare, ubi ſcripſit: *In queſto Secolo oſſervo, che gli Empirici, e li Chimici hanno bensì dato ſegno della loro intemperanza, ſcrivendo più Satire, che Dottrine*. Sed hæc nolim ego, vel his ſimilia argumenta ſectari, mittoque Satyrici labem in Helmontium præſertim cadere, proximis hiſce verbis relatum: *ſcrivendo più Satire, che Dottrine, come ſi legge in Vanelmonzio, e ſimili*. Nec providum ſatis, nec ſatis conſultum eſt, (quantum ego quidem cenſeo) prolatam alicujus criminis accuſationem, quæ pluribus communis eſſe

Epiſt. Terr. N. 5. pag. 27.

Ocul. & Men. Vig. Pars 2. pag. 384.

Op. Poſthum. pag. 181.

Ibi.

poſſit, ſibi ſoli tribuere; quamobrem jure D. Hieronymus Bonaſo occinebat: *Numquid unus in Urbe Romana eſt, qui habeat truncas inhoneſto vulnere nares? Numquid ſolus Bonaſus Segeſtanus cana verba, & in modum veſicarum tumentia, buccis trutinatur inflatis?* Nec injuriâ Malpighium corripuit Sbaralea, quod ſuâ ſe ſolùm peti Criticâ exiſtimaret, quam in omnes trium Anatomiarum ſtudioſos generatim intenderat: *Auctor Poſthumus malè cogitavit, nullum alium, præter ſe ipſum, ſcripſiſſe de rebus minimis, & Viſcerum ſtructura Microſcopica .... Hic eſt Philautiæ effectus, quæ viros effœminat*: quæ quidem verba conſultò etiam ſcripſiſſe Sbaralea viſus eſt, ut hæc alia in Reſponſione Poſthuma antea exarata retunderet: *ma quì: Latet Anguis in herba. L'Autore della Lettera pretende, che la Notomia de' Moderni, diciamola come Egli l'intende, la mia .... ſia fatica inutile*. Sed & alia adhuc cauſſa fuit, qua laceſſitus Sbaralea, nimia ſui opinione laboraſſe Malpighium ſcriberet, tum in præcitato, tum in ſequentibus his textibus: *ac ſi veritas ab ejus ore ſolùm procederet — ac ſi ſolus eſſet a ſecretis naturæ, & ſolus ſciret, quæ penetrari nequeunt*. Quicumque norunt, quæ temeritas, quæque fuerit jactantia veteris illius Medici nomine Theſſali, qui *ſuperbiſſimus homo ſic gloriabatur, ut omnes ante ſe Medicos, & ipſum quoque Hippocratem non contemneret modò, ſed etiam inſcitiæ argueret*, ii facilè judicabunt, num prior

D. Hieronym. Epiſtola 100. edit. Aldi.

Ocu. & Men. Vig. Pars 2. pag. 297.

Op. Poſthum. pag. 122.

Ocu. & Men. Vig. Pars 2. pag. 416. Ibi pag. 227.

Vitæ illuſtr. Med. Auctor. Petro Caſtellano pag. 97.

fuerit

fuerit Malpighius, qui ſuperbiâ, aliorumque contemptu Sbaraleam notaverit, dum illum Theſſalo ſermone parem fecit. Hunc, quem ex Opere Poſthumo nunc ego locum tranſcribo, attendiſſe debuit Terranova: *Si ſtima poi coſì potente con queſte ſue armi, che ſi penſa invincibile, e che li ſuoi nemici mai lo rintuzzeranno, dato anche che per tutta l'eternità con li ſuoi fautori ſudando travagliaſſero, e giudice ſa Ipocrate, portando la ſua Sentenza. Queſto è un parlar da Teſſalo, quale vantavaſi d'aver abbattuto tutti li Medici, e Letterati ſuoi Anteceſſori.* Verùm ut hoc idem perſpectius fiat, Sbaraleam nempe, vel quoad iſtam ipſam, de qua agimus, Superbiæ notam, omnino laceſſitum, nihilque Malpighio ex verbis Diſſertationis, quibus innititur, in citato Reſponſionis loco illatum fuiſſe, quo juſtè irritari debuerit; jam ipſiſſima, quæ ille retulit præfatæ Diſſertationis verba, nos quoque referamus: *Tot animi conatus hucuſque non promovere Praxin, tot vigilias ad profligandos morbos eſſe ſuperfluas, nec frequenter novos uſus inducere, aliis vicibus vulgatos obliterare, ſed nihil certi indè ducere, nonnumquam evidentem actionem contra communiorem ſententiam ſtabilire; ſed non augere medicinalem materiam, nec medendi methodum immutare.* Quapropter ſi eo, quo fieri decebat ordine, primum Diſſertationem, mox Reſponſionem, poſtremò Librum Vigiliarum excuſſiſſet Terranova; tunc quonam fonte fluxerint crimi-

Op. Poſthum. pag. 145.

Diſſert. Prima Epiſtol. pag. 26.

num objectatio, morumque traductio apertiùs cognoviſſet. Si Honoris ſtudium aliquantò ipſi acceptius fuiſſet, qui Sbaraleam riſit, propterea quòd aliquos ejuſdem Honoris Scriptores aliquando citaverit; aut ego fallor, aut ipſe meliùs judicaſſet, uter Contendentium in ordine Critico, uter in ordine injurioſo, Provocans fuerit. Tunc certè nec auſum crediderim, hæc de Malpighio aſſerere: *niſi aſſiduæ contradictionis pervicacia, & jactata quotidie apud Plebem dicteria, ſuorumque Studiorum in Diſſert. de Rec. Med. Stud. ſpecialis, & propè expreſſus contemptus, repugnantem quaſi, & invitum tamdem aliquando pertraxiſſent, ad injurias potiùs quam ad objectiones refellendas:* nec de Sbaralea in re morali pronunciare: *in tam vaſto hoc Vigiliarum Libro tot, & tam varia, tamque abnormia effutita eſſe.*

Epiſt. Terra. N. 5. pag. 34.

Ibi Num. 6. pag. 39.

CAP. XII.

Operis concluſio.

I. HIs, quæ in Septimo, Octavo, Nonoque capite digeſta ſunt a Terranova, immorari non vacat; ea quippe extra rem moralem ſunt, quam ille jam in Sexto abſolverat his verbis: *Sed de morum vitiis ſatis ſuperque diſſeruimus.* Perpauca, eaque exigui omnino pretii, ibidem agitantur, quorum nonnulla cum ipſe Malpighius in reſponſione indicaſſet,

Epiſt. Terra. N. 6. pag. 4?.

caſſet, ea deinceps Sbaralea in ſuo Vigiliarum libro *Quiſquilias* vocaſſe contentus fuit. Verùm potiori adhuc jure ſic appellandæ (ſpectato præſertim Medicæ, ac Anatomicæ inter hoſce Scriptores agitatæ Controverſiæ argumento) mihi videntur, quæſtiunculæ quædam, quas in Octavo, & Nono, de ſtylo, de varia eruditione, deque ſermonis puritate, excitat Terranova. Harum examen, purum Grammaticum, purumque Rethorem decet. Auctores verò Epiſtolarum (ſi benè eos novi) illud fortaſſe ſibi arripuerunt, non quia hæc præcipua ipſorum ſint ſtudia, ſed ut errorum, quos in libro Vigiliarum patefacere decreverant, hac tamdem arte numerum augerent, & his, quos ſupra centum quinquaginta Horatius ſupputare ſpoponderat, inveniret adhuc Terranova, quos adderet alios, ne fortè minùs ingenioſus haberetur. Ego de re iſta unum dumtaxat hoc dicam, quod æquum eſt meminiſſe, primum videlicet Malpighium fuiſſe, qui de Stylo, ac Locutione verbum inſtituerit, & hoc ibi feciſſe, ubi ait: *La Latinità, che l' Autore vanta terſa, e di buon ſecolo* (hujuſmodi tamen jactatio deſideratur in Diſſertatione, quam reſpicit reſponſio) *è una raccolta di Periodi, rubbati da buoni Autori, concatenata con uno ſtile, e fraſe per lo più barbara.* Id quoque dicam, (neque enim aliter poſſum) multò ſcilicet prudentiùs, multòque conſultiùs actum videri potuiſſe, ſi hæc ipſa inquiſitio prorſus

Ocul. & Men. Vigil. Pars Pri pag 138.

Op. Poſthum. pag. 167.

prorſus fuiſſet omiſſa, atque unicè potiùs retenta admonitio,qua Borellus, intercedente adhuc illi cum Malpighio amicitia, dum quædam hujus ſcripta recognoſceret, eum candidè inſtructum voluit. Leguntur Borelli Verba in quadam ejus Epiſtola, quæ ſimul cum aliis quam pluribus ad Malpighium miſſis, typis mandata, iſtius Vitæ præfixa eſt, ac Doctiſſimi hujus Viri admonitionem continet, quæ aliquid plus ſignificat, quàm quòd primò eam intuenti videri poſſit.. *Per ora ella non ſi pigli un faſtidio al Mondo della Fraſe, e Proprietà della lingua, mà ſolamente penſi alle Dottrine.*

Epiſt. Borelli relata in Op. Poſth. pag. 2.

II. Miſſis igitur, quas ſupra diximus minutiis, perpendendo Decimo, eidemque ultimo Terranovæ Capiti totus incumbo, cujus prima verba legens maximam cepi voluptatem, eò quia mihi honorificæ retractationis initium viſum eſt: *Nunc unicum Verbum libenter dixerim ad aures ipſius Vigiliarum Scriptoris, ſcilicet me erga illum ita eſſe affectum (& tantò magis Horatium hominem alterius Scholæ, & qui ne de facie quidem ipſum cognoſcit) ut excepta iſta cum Præceptore meo controverſia, & editis hucuſque in hanc rem ſcriptis, ipſum, & diligam, & quanti par eſt faciam, & ultro confitear, multò meliora poſſe ipſum ſcribere ſi velit, quàm antehac ſcripſerit; quòd verò attinet ad mores,numquam, ut alibi dictum eſt, per epiſtolas haſce intendi pravæ ipſum intenticnis accuſare, ſed omnia in antipathiam quamdam, & inſenſibiliter contrac-*

Epiſt. Terra. N. 10. p. 63.

tum

tum diſſidendi habitum, expreſsè refundi. Bonum hujus Proteſtationis tantum eſt, ut niſi propinquas, immo adnexas, haberet tot, ac tantas contumelias (præter notam, quam continet habitùs diſſidioſi, quem vitioſum eſſe clarè oſtendimus) non ſolum per eam Sbaraleæ ſatis repenſum, ejuſdemque honorem ſatis reparatum, ſed etiam patefactum ſumma cum laude in Terranova Animum ad caſtigandam ſuorum errorum licentiam ſponte jam pronum, quaſi dicere poſſemus. Sed eâdem ratione, quâ inſitâ protervià non exuitur Verbum *Mentiris*, per hoc, quod quis illud in aliquem jaciens, ſtatim ſubdat *ſalvo honore tuo*; eâdem, inquam, lethalem convicio naturam demere nequit, honeſtorum, blandorumque verborum admixtio. Quamobrem cum Terranovæ Proteſtatio in ſe ipſam pugnet; hoc eſt cum ab eo dicta a ſeipſis diſcrepent, nullius obligationis titulo prohibebatur Sbaralea, quo minus æquos animi ſui ſenſus aperiret, verbis quidem præſentibus Amicis, abſentibus verò datis Epiſtolis, quarum unam hîc ſubiicio Bartholomæo Santinello conſcriptam.

Soccin. Conſ. 1. pag 71. Alciat. Conſ. pag 55. Rinald. Conſ. Cap. 7. Num. 121. Pigna lib. 3. Cap. 6. Camil. Bald. Cap. 55. Birag. Deciſ. 5. & Conſ. 20. Lib. 1.

„ *Eccell. Sig. mio Sig. Padron Colendiſſimo.*
„ Sono così occupato in compir l'opra altre
„ volte accenata a V. S. Eccellentiſs. intorno
„ all'anime de Brutti, che à pena hò potuto
„ dare una precipitoſa ſcorſa all'Epiſtole del
„ Terranova, e del Floriani, contro il mio li-
„ bro

„ bro delle Vigilie. Quanto alla Dottrina, e al „ punto della Controverſia da me propoſta; „ non trovo in quelle coſa, che vaglia a perſua- „ der in lor favore Perſone punto intelligenti. „ E però non penſerò a dar loro riſpoſta in pro- „ poſito medico, quando anche mi troverò me- „ no occupato. Quanto alla modeſtia, trovo „ in ambedue le Epiſtole molti eccesſi, e molte „ ingiuſte imputazioni contro di me; ancorche „ a V. S. Eccellentiſs. o così non ſia parſo, o non „ abbia ella osſervati i ſudetti eccesſi, nell' eſe- „ guire la commisſione avuta da coteſto Santo „ Tribunal dell' Inquiſitione di rivedere quell' „ Operetta. Principalmente, la dove pag. 62. „ il Terranova riferiſce le ſeguenti mie parole „ nel libro delle Vigilie, colle quali in puri ter- „ mini Critici, impugno gli ſcritti del Malpighi: „ *Hoc eſt perpetuum in adverſariis Antagoniſtæ, ut* „ *ſemper ſcribat quæ ſe invicem deſtruunt. pag. 52.* „ *Hoc modo ſemper idem probat ſuas concluſiones,* „ *conſequenter quicumque veritatem amant, non* „ *posſunt, nec debent eumdem ſequi pag. 32. Antago-* „ *niſta noſter gravi cenſura ſemper dignus eſt:* cioè „ la dove ſi avanza lo ſteſſo Terranova a trattar „ di calunnioſi i recitati miei ſentimenti; ſog- „ giungendo egli queſte ſue preciſe parole: *ut* „ *hic ommittamus multas alias non disſimiles calum-* „ *nias*; io mi trovo in neceſſità di riſponder bre- „ vemente, che egli manifeſtamente m' ingiu- „ ria, e che io negando eſſer calunnie quelle, in-

Epiſt. Terra. N. 3. pag. 21.

„ tendo

„ tendo di caricarlo alla prova. La ſteſſa riſ-
„ poſta appunto faccio alle parole ancora ſegna-
„ tamente del Floriani, ove, non alla debolezza
„ del mio intendimento (che ciò non mi reche-
„ rei ad offeſa) ma à pravità di mia intentione,
„ ingiuſtamente attribuiſce il mio diſſentire
„ dalle dottrine del Malpighi: *facilè poſſit ani-*
„ *madvertere, homini huic noſtro non cognitionem*
„ *ejus modi, quo certæ Præceptoris tui propoſitiones*
„ *accipiendæ erant, defuiſſe; ſed voluntatem, atque*
„ *animum; quo fit, ut ne duæ quidem paginæ illius*
„ *libri ſine magno ſtomacho, atque indignatione legi*
„ *poſſint*. In queſti ſentimenti convenevoli ad
„ Uom Criſtiano mi ſon contenuto, ſcrivendo
„ a miei Amici lontani, e ragionando a i pre-
„ ſenti con animo di laſciar a miei Contraddito-
„ ri penſare al carico, che da queſte mie poche
„ parole vien loro impoſto. S'io ſapeſſi chi foſ-
„ ſero coteſto Luca, e coteſto Orazio, o chi hà
„ cotai nomi aſſunti, farei loro a dirittura la
„ ſteſſa eſpreſſione; anzi mi ſarebbe gran favore
„ V. S. Eccellentiſſ. ſe in Roma, ove è ſeguita
„ la ſtampa delle lor Lettere, ſi adopraſſe per
„ diſcoprirli, e me ne daſſe notizia. Prego il
„ Cielo, che la conſervi in lunga e perfetta ſalu-
„ te, e la riveriſco devotamente.

Epiſt. Horat. de Florian. N. 4. pag. 85.

Bologna 6. Febraro 1706.

Devotiſſ. & antico Serv. Vero
G. Girolamo Sbaragli.

III. En modus, quo Sbaralea eſt uſus ad propulſandas injurias, quæ in ipſum ab occultis Malpighii Aſſeclis jactæ ſunt: Modus, inquam, ſi Terranovam præcipuè reſpiciamus, qui (ſua in ipſum retorquendo verba) is dici poteſt, *quem ipſe numquam expectaverit*. Id verò, quod potiſſimùm refert, hujuſmodi reſponſio ita Chriſtianum decet, ut Reparatoris noſtri reſponſum ad Judæorum calumnias imitetur. Quo ut maximè quiſque utatur, piè admonet Camillus Baldus, dum conſulit, ut à Servatore noſtro primùm reſpondere diſcamus: talis non ſum; & nihil aliud. Hoc ipſum eſt, quod hominibus, ſacris etiam ordinibus adſcriptis, in more eſſe decet, ut monet P. Albertus de Albertis, ubi latè oſtendens, *propriæ æſtimationis, ac famæ, quæ bonum longè nobilius eſt, jacturam ... vulgatis Apologeticis cavere, ac reſarcire iiſdem Religioſis fas eſſe:* hæc S. Baſilii verba profert: *ad Calumnias tacendum non eſſe, non ut contradicendo nos ulciſcamur, ſed ne mendacio inoffenſum progreſſum permittamus*. Ego ſanè nil vereor tumidæ audaciæ notam, quam Terranova temerè in eos conjicit, qui Apologeticis in cauſſis, Sacrorum Codicum, aut Patrum auctoritate utuntur: certuſque etiam ſum, ob hanc rationem ſuperbos, neque Albertum, neque innumeros alios eâdem auctoritate piè & opportunè uſos, hucuſque habitos, aut impoſterum habendos fore. Audeo itaque innuere illud

Epiſt. Terra. N. 1. pag. 4.

P. Albert. de Albert. ad verſ. Gaſp. Sciep. Cap. 9. § 3 num. 32. Camil. Bald. Cap. 61.

P. Albert. de Albert. Cap. 9. §. 2. num. 25.

lud

lud Eccleſiaſtici: *Calumnia conturbat Sapientem*; ejuſdemque verbis inhærens, addo: *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit: Delaturam Civitatis, & collectionem Populi, & calumniam mendacem, ſuper mortem omnia gravia*: Hinc fit, quòd ſi vir bonus maledico ſauciatus verbo, *alia damna, hinc contracta, ex Chriſtianæ Charitatis exuberantia ſponte remittit, omniumque iſtorum gratiâ perlibenter facit; non tamen idcirco telum, aut glandem relinquit in vulnere, ſed nè amplius ſæviat, noceatve, inde ſubitò extrahit*. Neque aliter egit Sbaralea, conviciorum tela in ſe vibrata perquam modeſtè, ut probavimus, a ſe ipſo repellens: enim verò quando quis aliquid ita negat, id ſolùm per ſe præſtat, ut nempe injuriæ ictum in ſe ipſum vibratum a ſe ipſo arceat. Quòd ſi præterea ictus redeat in auctorem; hoc ipſi adſcripſeris jaculatori; totumque hoc, qualecumque malum eſt, planè in ipſum derivat ex pravitate propoſitionibus inſita, quæ a negatione propulſantur. Id ut explicem, alienis hiſque doctis utar ſenſibus: Ex præcedenti oratione dignoſcendum, habeatne, an non, interpoſita Negatio, vim illius, quæ vulgò dicitur *Mentita* (ſunt hæc ex Doctrina Rinaldi Corſi); & in dubio quod Neganti magis favet, eſt accipiendum. Jam verò præmiſſa verba, Negationis vim manifeſtantia, ſunt illa eadem, quibus propoſitio negata præcisè conſtat. Itaque ſi dicta propoſitio injurioſa ſit,

Rinald. Corſ. de Pace Cap. 7 num. 119. & 120.

ſa ſit, ſtatim intelliges, Negationem ei reſpondentem vim induiſſe verbi *mentiris*, eâque vi injuriam repelli. Quod idem eſt, ac dicere, haberi jam Injuriæ repulſam. Hinc fit, Negationes omnes, dum injuriis reſpondent, injuriarum repulſas eſſe. Idcircò habito reſpectu cauſſæ, ex qua hujuſmodi reſponſio oritur, negationes ipſæ (prout ſentiunt honoris cultores) cuicumque immodeſtiori, liberiori, atque inhoneſtiori modo omnino æquiparantur. Et ſenſus Fauſti eſt; æquales in hoc eſſe, quòd utræque pariter in contumelioſum virum onus probandi rejiciant: quare optimè infert Mutius, quoad hoc inter ſimplicem negationem, & verbum *mentiris*, nullum aliud intercedere diſcrimen, quam plus, minuſve honeſtæ locutionis.

Mutius Duel. lib. 1. Cap. 3.

Fauſt. Duel. lib. 2. Cap. 23.

Muti. lib. 1. Cap. 3.

IV. Jam ergo ex una parte, quantùm ejuſmodi Negatio ſit efficax, ex alterâ verò quantùm ſit innocens, hinc conſtat: quicquid enim oneroſi in illa eſt, id omne non ex ſui ipſius, ſed ex antecedentis propoſitionis, cui opponitur, indole redundat. Ne tali ponderi ſubmitterentur, evitationibus, ac ſubterfugiis, uti poſſent Lucas Terranova, & Horatius de Florianis, eaque ſe tamdem inveniſſe ſibi perſuaderent, ſi objicerent, a ſe Sbaraleam nequaquam calumniis affici, ſed ejus in Malpighium calumnias aſſeri. Verùm parato, nimiſque prono occurrerent reſponſo: Nimirum ex tali

ipſo-

ipſorum affirmatione inſimulationis malitiam augeri. Docuit Ariſtoteles, *utrumque pravum eſſe, facere injuriam, atque pati; alterum enim eſt plus; alterum minus habere medii ..... Pejus tamen eſt injuriam facere.* Quare ſicut (cæteris aliis conſentientibus Auctoribus) deterioris conditionis ſunt contumelioſi, quàm ii, qui contumeliis vexantur; ità deterior nota alteri inuritur, repræſentando illius in alios calumnias, quàm aliorum in illum. At verò novum conſilium capere poſſent, exponentes, Calumniarum appellationem, Sbaraleæ propoſitionibus datam, nihil aliud eſſe, quàm circumſcriptam earumdem, quas utique injurias eſſe volunt, exprobrationem; cum ſit prorſus idem dicere *calumniaris*, ac dicere *mentiris*, utrumque enim apertæ præciſè Veritatis impugnatorem te dicit. Hinc verò deinde inferrent, ulteriùs Negationi a Sbaralea interjectæ locum non fuiſſe, neque ex hac ipſos ad comprobationem impelli; cum non liceat validæ negationi ulteriorem opponere negationem, neque unam ſupra aliam cumulare. Ambo hæc dogmata in ſe admodum vera ſunt, ſed nihil ad rem; compertumque nimis eſt, quomodo hujuſmodi objectio eludatur. Animadvertant Terranova, & de Florianis naturam, ſignificationemque propoſitionum, quarum expreſſo intuitù Sbaraleæ calumnias imputant. Has, quas calumnias vocat Terranova, hîc ruſus majoris claritatis

Ariſt. Ethic. lib. 5. Lect. 17.

Rome. Dial. 4.

Socin. Conſ. 2.
Birag. Deciſ. 4. & 5.

Alciat. Conſ. pag. 54.
Mutius Reſp. 8. Lib. 1.
Pigna lib. 2. cap. 4.
Landi Vol. 1. lib. 2.
I. B. Poſſev. lib. 5.
Socin. Conſ. 1. pag. 71.
Pompe. lib. 1. Cap. 13.

tatis

Epiſt. Terra. N. 3. pag. 11.

tatis ergo ſcribo. *Hoc eſt perpetuum in Adverſariis Antagoniſtæ, ut ſemper ſcribat, quæ ſe invicem deſtruunt.... Hoc modo ſemper idem probat ſuas concluſiones; conſequenter, quicumque Veritatem amant, non poſſunt, nec debent eumdem ſequi.... Antagoniſta noſter gravi cenſura ſemper dignus eſt.* Porro & omnes, & ſingulæ iſtæ propoſitiones Criticæ tantùm ſunt, cum nullatenus mores, ſed unicè doctrinalem materiam reſpiciant. Nec minùs purum putumque doctrinale, ac criticum argumentum eſt, quod agitat Horatius de Florianis eo loci, ubi deinceps ab eodem argumento longè diſcedens, incautus ſenſim, ac præceps in aliud ruit jure calumnioſum, dum contra Sbaraleam ſcribit, eidem *non cognitionem defuiſſe, ſed voluntatem, atque animum.* Cum itaque, propoſitiones Libri Vigiliarum a Sbaralea editi, quibus Terranova, & de Florianis, hic implicitè, ille verò expreſsè, calumniarum nomen indunt, Criticæ illæ quidem, ut jam vidimus, ſint; Adverſarii verò mores, ne minimo quidem attactu, lædant: eædem idcirco (ut reliquæ omnes propoſitiones totius Controverſiæ, quas Malpighius in ſuis Reſponſionibus incauta appellatione calumnias dicit) hujuſmodi erant, ut exprobratione mendacii eximerentur; quandoquidem ſcientificas, & indifferentes propoſitiones pronuncians, mentiri dici non poteſt, juxta communem aliorum doctrinam, & particularem Baldi, quam a

Epiſt. Horatii de Florianis num. 9. pag. 85.

Tertio

Tertio uſque capite §. ultimo, quo prolata eſt, paratiſſimam habeo. Quoties igitur impoſitam hiſce propoſitionibus maledictorum notam, veluti circumſcriptam læſæ conſultò veritatis objectationem accipere vellemus; talis objectatio, cum irrita, tum etiam ad rem nihil pertinens eſſet, eò quia munere ſuo, quod in propulſandis injuriis ſiſtitur, non fungatur: immo verò tunc ipſa in injuriam coaleſcit, rejicique legitimè validèque poteſt verbo *mentiris*, vel qualicumque alia inficiatione, probandi onus imponente. Atque hæc concluſio omnium certiſſima eſt, ac tritiſſima, & præ cæteris communis.

Mut. Reſp. 3. & 4 lib. 2. Attend. Lib. 1. Cap. 6. Fauſt. Lib. 2. Cap 21 Kinald Corſ. Cap. 7. num. 122. Socin. Conſ. 1 pag. 72. Rom Dial. 4. Camil. Bald. Cap. 11. Birag. Deciſ. 5.

V. Præterquam quod etiamſi detur (quod nullo modo dari poteſt) Sbaraleæ propoſitionibus, Malpighii propoſitiones impugnantibus, prædictam circumſcriptam notam Reſpondentes intuliſſe, quærere tamen adhuc a Luca, & ab Horatio quis poſſet; quonam nomine provinciam hanc ſibi vindicent, calumnias adſcribendi Sbaraleæ, & eum circumſcriptà mentiendi culpa onerandi? Nolo ego diſputando inquirere, utrùm Malpighii Schola, & ſtudium, quos titulos in medium proferunt, ſatis pro rata ratione ſint, ut id eis licere dici poſſit. Ajo quidem, id neque ipſi licitum Malpighio, ſi viveret; propterea quia nulla prorſus ratione ex dictis Sbaraleæ propoſitionibus erui occaſio poteſt reſpondendi Verbo *Mentiris*; immo verò

ſi tale

ſi tale probrum a Malpighio injectum fuiſſet; pro reſponſo negatio onerans dari potuiſſet: Ajo præterea, Malpighium neque in aliis Libri Vigiliarum propoſitionibus, quæ acerbiùs eum fortaſſe pungunt, juſtam umquam occaſionem in adverſarium proferendi verbum *mentiris* fuiſſe inventurum; non ſolùm quia illæ admodum mites injuriarum compenſationes fuere potiùs, quàm injuriæ; verùm etiam quia, ſi viveret, gravaretur adhuc pondere probationis exhibendæ, impoſito ipſi ab antecedente Sbaraleæ negatione, paulò ante a nobis recenſita, cujus initium eſt: *non contradicendi libido, non particulares fines, qui nos moverint ad ſcribendum*. Etiamſi igitur Terranova, & de Florianis Malpighii perſonam agerent, eiſque omnia illa competerent, quæ Malpighium decerent, ſi viveret; attamen probatio, quæ verè illis incumberet, tota eſſe deberet contra memoratam Sbaraleæ Negationem: abs re autem eſſet, probandum ſibi ſuſcipere, Sbaraleam poſtea Malpighio vitia illa morum adſcripſiſſe, in quibus integra Epiſtola Terranovæ verſatur. Hoc enimvero quæſtionis caput eſt. Non quæritur, utrum Sbaralea calamum aliquantulum acuerit, ut par redderet Reſponſioni Poſthumæ. Fruſtra nituntur oſtendere in replicatione ad poſthumam Reſponſionem, neſcio quam in Malpighium de moribus inſimulationem a Sbaralea inſertam fuiſſe. Hoc neque præſentis

Ocu. & Ment. Vig. Pars 2. pag. 427.

Con-

Controverſiæ ſcopus eſt, neque ullo modo id eſt, quod ipſis incumbit probandum; quin id eis enitendum eſſet, ut oſtenderent nimirum, Calumniis infectam eſſe priorem Sbaraleæ Criticam adversùs Anatomica recentiorum Medicorum ſtudia; eumdemque cavilloſum eſſe, deque invidia, ac malignitate carpendum, qualem teſtatus eſt Malpighius in ſua Reſponſione. Sbaraleæ enim abnegativa has ſolas culpationes a ſe removet, iſtarumque ſolùm neceſſariam confirmationem exigit. Agnoſcant ergo, quid eis incumberet, ſi vices Malpighii agere vellent. Simul tamen agnoſcant, quid eos rurſus poſcat, quove gravet pondere, poſtrema, quæ ipſos ſingulariter tangit, Negatio. Onus hoc proprium revera ipſorum eſt; non quale illud, ab eis ſibi adoptatum, aut dubioſum, aut Chimericum, ſed neceſſarium ac eſſentiale. Hoc excutere ipſis impoſſibile eſt, & deferre graviſſimum quibuſcumque in pretio eſt Honor, cujus externa poſſeſſio, in opinione hominum ſita, ſuſpenſa hæret, uſque dum injuncta probatio abſolvatur. Difficillima ſanè hujuſmodi probatio eſt, intereaque Inficiator beneficio faventis præſumptionis fruitur, maximè quia, cum ipſe primam ſuam Diſſertationem intra legitimos Criticæ terminos continuerit, arguitur in id intimè, ac verè ab eo fuiſſe collimatum, in quod, utpote in proprium finem, collimat Critica. Atque hoc

Pari. de Put. vul. lib. 6. Cap. 22.
Fauſt. lib. 2. Cap. 23.
Vrea Par. 2. p. 125. 126.
Rinald. Corſ. Cap. 7. Num. 23.
Pigna lib. 2. Cap. 4.
Pompe. lib. 1. Cap. 8.
Birag. Lib. 1. Conſ. 23.

certius reddidit, cum ſibi faventem præſumptionem confirmavit in replicatione ad Malpighium expreſsè negans, ullam ex adſcriptis ſibi ab hoc intentionibus ſe habuiſſe, immò ſolius ſe Veritatis amore ſcripſiſſe, apertè profeſſus. Idcirco, ſi ubi de Criticæ legibus ſermo fuit, oſtenſum eſt, Criticam quammaximè a Calumnia, atque Satyra ratione argumenti ſecerni, atque ab argumento pariter Diſputantis animum potiſſimum inferri (ad quem utpote intrinſecus abditum permeare nequimus) quinam modus recentibus Adverſariis ſupereſſe poteſt, ad oſtendendam mentis improbitatem, quam Sbaraleæ objectaverunt?

VI. Æquius igitur eſt, integram Palinodiam, & omnium laude dignam, ab illis præſtolari, quàm comprobationem arduam injuriarum, quæ e calamo eorum exciderunt immodico zelo ardentium, legumque moralium oblitorum. Sic enim conficient, ſive perficient, emendationis illius ſpeciem, quæ legentibus exoriri videtur in calce elegantis Epiſtolæ Terranovæ, quæque animi ad honeſtatem diſpoſiti aliquatenus eſt argumentum. Tunc poſtquam exemplum a Mundo pravum deleverint, prudentique, ut innuimus, Palinodiâ, laudem modeſtiæ ac Veritatis amantium recuperaverint, litem poterunt inſtitutam promovere, vel id propriis nominibus, vel ſecus exequantur; modò tamen placidè id fiat, ut in litis excitatio-

ne a

ne a Sbaralea actum fuit: quo modo ſcilicet agere ſolent ii, qui non minùs ſe Phyſicos eſſe Philoſophos gloriantur, quàm Morales. Tunc inquam ſui ipſorum generoſa correctio multis illuſtri erit invitamento ſcriptoribus, ut in hanc eruditam conflictationem audeant deſcendere, evaſuram inde totius Literarii mundi ſpectaculum. Hoc ipſo conſilio honori proprio melius Adverſarii conſulent, & melius famam tuebuntur, quam celebris eorum Amicus, ac Præceptor eximiè adeptam ſibi undequaque coegit. Magni hujus Viri gloriæ nequaquam ſavet, qui modeſtiam deſerit in diſceptatione, quam ſibi ejus cauſſa addixerit: quo pacto de ipſius gloria malè meriti ſunt illi, qui ejus reſponſionem Sbaraleæ ſcriptam, quam dura mortis ſupervenientis neceſſitate imperfectam reliquerat, indecoris additionibus, ut piè a nonnullis creditur, contaminarunt. Ego certè ex animo, plenèque Floriani ſententiæ conſentio dicentis. *An non putas ſtudioſiſſimum Auctorem, ſi hæc opera perficere ipſe, atque edere potuiſſet, nullum verbum additurum, nullum detracturum, nullum ſaltem moderaturum fuiſſe?* Æquè mihi pro certo eſt, ſi Malpighius longiùs dies, Deo dante, protraxiſſet, ſique ipſe decreviſſet editionem Reſponſionis illius, quam adumbratam diu apud ſe cuſtodivit, quæque tantummodo manuſcripta, inſcio ipſo, immo fortaſſe renuente, in aliquorum manus erupit; Reſponſionem

Epiſt. Horat. de Florian. N. 4. pag. 86.

hanc, inquam, in lucem ita prodituram fuiſſe, ut omni labe purgata, ea præcipuè, quam licentiores mores conflant, atque ad perfectam formam redacta, ſignum prudentiæ, ac dignitatis illius, quas ſemper in Malpighii operibus admirati ſumus, fuiſſet extitura. Auctor enim neceſſariò, ſapientibus illis, ac honeſtis de modo diſputandi conditionibus inhæſiſſet, quas adverſariis ipſe ſuis indicavit, dum ſcripſit: *In votis mihi eſſe, ut liberè contra mea aſſerta publici juris facerent quicquid ipſis arrideret, intra tamen terminos honeſtæ, nec contumelioſæ diſputationis.* Quanam ſaniore Criticæ regula uti poſſunt Terranova, & de Florianis, quæ vel rectitudine, vel compendio præponenda ſit huic, quam ex ipſo ſuo habent magiſtro? Hac ſi præſentem Controverſiam temperaverint, ac direxerint apud ingentem Literatorum numerum ſæculum noſtrum condecorantium, juſtam laudem vel Controverſia ipſa, vel alterutra ex partibus contendentibus conſequetur; ad ſummum: *ſuum cuique decus poſteritas rependet.* Citra dubium eſt, eos qui verè literis præditi ſunt, non tantum Intellectivis tribuere Scientiis, quantum moralibus; harumque lumen aliquod a natura inſitum, illis etiam eluceſcere, qui Intellectivis aut non ſtuduerunt, aut ſtudere neſciverunt. Non omnibus mens ſuppetit ad rerum Phyſicarum, Anatomicarum, Medicarumque intellectionem, & Judicium.

Vita Malpighii in Oper. Poſthu. pag. 102.

Tacit. Annal. Lib. 4.

Hone-

Honeſtatem verò omnes generatim intelligunt, omneſque ejus naturam aliquo modo percipiunt. Moralia dogmata, neque a rei dubietate, neque ab ingenii acumine tenebras patiuntur: illorum enim, quæ magis neceſſaria ſunt, ipſis clariſſimis, ac puriſſimis Evangelii præſcriptionibus diluta videmus. Quin etiam illa eadem, quæ veras Honoris regulas nuncupamus, illa inquam, ſolummodo ſunt quæ Chriſtianis præceptionibus non repugnant; cum alioqui nemo ſit, qui ignoret, Sophiſmata, & Vanitates eſſe, atque Chimæras, quæcumque a ſacris illis dogmatibus diſcrepant. Finem itaque honeſtiorem Operi meo imponere me non poſſe arbitror, quàm conſilium dando iis, qui literariam hanc Controverſiam protracturi ſunt, ut a pietate ne minimùm quidem recedant; ſicuti prior ego mihi faciendum præſcripſi, dum id ſolummodo, quod veritati conſonum credidi, in præſenti Tractatu expoſui. Quòd ſi quæſitam Veritatem non invenero, vel ſi eamdem infirmioribus argumentis comprobavero, rudique ſtylo expreſſero, ſaltem opus qualecumque pia mente peregi; itaut videar ego ipſe mihi deſumere poſſe a Calphurnio proteſtationem, quam ille Carminibus ſuis aptavit.

Dum mea ruſticitas ſi non valet arte probari
Carminis, at certè valeat pietate probari.

F I N I S.

INDEX
Capitum præſentis Libri.

CAP. PRIMUM.
QUam differat a Calumniatore, & a Satyrico, Criticus. Pag. 1.
CAP. SECUNDUM.
Judicium, quod de alienis Scriptionibus Critici ferunt, Scriptorum Honorem minimè lædere. 9.
CAP. TERTIUM.
Diluuntur quædam adversùs antecedens Caput objecta. 21.
CAP. QUARTUM.
Quomodo Critica, non tantùm licita ſit, & honeſta, ſed utilis, ac quomodo ipſa a ſuo officio deflectat. 27.
CAP. QUINTUM.
Quem finem ſpectet, & circa quid verſetur vera Critica. 37.
CAP. SEXTUM.
Nonnulla dubia afferuntur circa varias conditiones Hominum, inter quos agitur Critica. 49.
CAP. SEPTIMUM.
De Provocante Critico, & de Provocante Injurioſo. 58.

CAP. OCTAVUM.

Series, & Summa Scripturarum, quæ ab una, & altera parte editæ fuerunt, narratur. 70.

CAP. NONUM.

Moralis Diſquiſitio primæ Diſſertationis Sbaraleæ, & Reſponſionis Malpighii. 85.

CAP. DECIMUM.

Examen libri, cui titulus: Oculorum, & mentis vigiliæ, cum Epiſtola Terranovæ comparati. 102.

CAP. UNDECIMUM.

Sequitur Examen Epiſtolæ Terranovæ. 115.

CAP. DUODECIMUM.

Operis concluſio. 148.

	Errata	Corrige
Pag. 10. lin. 19.)	cæteris præſtantibus	quibuſvis præſtantibus
Pag. 18. lin. 6.)	gemini honoris	genuini honoris
Pag. 19. lin 12.)	ad aures accidere	ad aures accedere
Pag. 22. lin. 29.)	citra culpam eamque voluntariam conari debet	non poteſt citra culpam eamque voluntariam non conari
Pag. 29. lin. 28.)	*Ariſtotelis*	*Ariſtoteles*
Pag. 33. lin. 27.)	dum Damis	dum Damidis
Pag. 57. lin. 5.)	perinde ille	perinde illi
Pag. 58. lin. 16.)	qui utrobique morali vel politica tantum lege exigitur, ubi &c.	qui utrobique morali lege exigitur, vel politica ſaltem lege, ubi &c.
Pag. 71. lin. 8.)	*peritiſſimam*	*penitiſſimam*
Pag. 76. lin. 29.)	*ſentaminibus*	*tentaminibus*
Pag. 77. lin. 3.)	compellere	complere
Pag. 88. lin. 6.)	notatur	notatæ
Pag. 88. lin. 20.)	velut	aut
Pag. 116. lin. 17.)	quoſnam	quiſnam
Pag. 123. lin. 26.)	ſpe	ope
Pag. 128. lin. 22.)	Auctoris	Doctoris
Pag. 155. lin. 25.)	quæ	quod
Pag. 158. lin. 14.)	jurè	verè

Pauca hæc curſim ego notavi; reliqua plura; quæ offendes tu Lector benigne corrige Errata.

Digitized by Google

005676267

Digitized by Google